DE ACTIS S. ACACII

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHVS WEBER
ALSATA.

BORNENSIS-LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE
MCMXIII.

Von der philosophischen Fakultät genehmigt am 22. Juli 1911.

PIAE PATRIS MEMORIAE
ET
RICHARDO REITZENSTEIN

ALBERTO EHRHARD
PRAECEPTORIBVS CARISSIMIS

S.

Sigla.

A = cod. Augiensis.
P = „ Parisinus.
B = „ Bruxellensis.
T = „ Trevirensis.
N = „ Noaillinus.
H = „ S. Huberti.
Us = „ Ultraiectinus ecclesiae S. Salvatoris.
Uc = „ „ monasterii Carthusiani.
R = „ Russicus.
O = „ Oxoniensis.

Nota G significatur Gebhardtii libellus qui inscribitur Acta martyrum selecta, Ausgewählte Märtyrerakten und andere Urkunden aus der Verfolgszeit der christlichen Kirche, 1902.

§ 1.

De libris et editionibus actorum.

Acta disputationis S. Acacii quattuor libris nobis tradita sunt. Principem locum obtinet cod. Augiensis (A) saeculi noni scriptura minuscula aevi Carolini exaratus.[1]) Aetate minor est cod. Parisinus (P) saeculo decimo ortus, quo exemplum scripturae Visigoticae nobis praebetur. Conscriptum hunc esse in Hispania ex eo quoque apparet, quod olim in Coenobio S. Dominici de Silos fuit;[2]) quando autem Lutetiam Parisiorum apportatus sit, exploratum nondum habemus. Italorum vel Hispanorum consuetudini respondet, quod literas b et v non raro inter se commutavit: v. 16 *solbe*; v. 43 *servabit*; v. 51 *Iobem*; v. 52 *conbibium*; v. 68 *declinaberunt*; v. 87 *interrogaberas.* Eorundem fortasse consuetudini recte tribuimus illud, quod omisit aspirationem: v. 23 *Abraam*; v. 27 *Cerubin*; v. 47 *orreo*; v. 118 *orremus*; v. 59 *ac.* Nonnunquam vero peccavit cum aspiratione abuteretur in vocalibus: v. 23 *Isahac*; v. 89 *huxore*; v. 122 *habundaverit.* Id quoque observes velim P saepe ante t literam c abundantem posuisse, v. gr. v. 2 *quoctienscumque*; v. 3 *pactienctiam.* Serioribus temporibus confectus est Bruxellensis (B), quem saeculo decimo tertio adscribere non dubito.[3]) Aetate paulo minorem esse codicem Monasterii S. Maximi, qui liber nunc asservatur in bibliotheca Trevirensi (T), ex scriptura Gotica, quae

---

[1]) v. Alfred Holder, Die Reichenauer Handschriften, Bd. 1: Die Pergamenthss. (1906) 130, cod. XXXII, fol. 130v—131v.

[2]) cf. catalogum codd. hagiogr. Lat. antiquiorum saeculo XVI, qui asservantur in bibl. nat. Parisiensi, edd. Hagiographi Boll. (1889—93) t. III p. 479 cod. sign. N. A. num. 2179, olim Coenobii S. Dominici de Silos, num. 29, fol. 141r—142v.

[3]) cf. catal. codd. hagiogr. bibl. reg. Bruxellensis, codd. Lat. membranei I, 2. 2, 303: cod. 9290, n. 25, fol. 68v—70r.

non omnino eadem est ac codicis B, cognovi.[1]) Nam codices A et T ut Argentorati inspicere possem, egregia praefectorum Carlsruhensis et Trevirensis bibliothecae comitate factum esse grato animo profiteor. E codice B acta nostra arte phototypa exprimenda curavit Ricardi Reitzensteinii rogatu Franciscus Cumont, vir omni humanitate praeditus; eiusdem praeceptoris mei carissimi voluntati obsecutus est benignissime Henricus Omont, qui imagines codicis P fieri iussit.

Pauca addamus, quo facilius perspiciatur, et qua ratione libri inter se cohaereant et quas in partes ipsi discedant. Codex vetustissimus A unus nonnullas lectiones exhibet, v. gr. v. 10 *intellegitur* pro *diligitur* et *omnibus* pro *hominibus*, v. 33 *Centresio Apollini*, quod dei cognomen apud reliquos omnino deest, v. 35 *illius ūri* pro *illi vestro*, v. 40 *mo͞lcavit* (ul superscr.) pro *multavit* et *ſachinti* pro *(H)yacinthi*, v. 47 *amittat* pro *admittat*, v. 111 *noc ||rna* pro *nocitura*, v. 137 *acta confecta sunt Marciano consulare* pro *acta sunt haec Marciano consulare.* Has quas attuli lectiones codicis A falsas esse omnes ex contextu cognoscitur; facere igitur non possumus ut librum A u b i s i n g u l a r e s l e c t i o n e s p r a e b e t, in recensendis actis nostris sequamur. Quod non refutatur v. 7. 8 ubi A solus exhibet... *audierat. eo introducto* ... Haec codicis A lectio mihi probatur quia locutionis Graecae *οὗ εἰσαχθέντος*, quam non raro in actis martyrum Graecis invenimus,[2]) genuina esse versio Latina videtur. Quamquam autem A solus *eo* = *οὗ* exhibet — P B exaraverunt *et* —, tamen ex scriptura (*et eo*) codicis T, quem ad eundem fontem atque A redire infra videbimus, utramque voculam *et* atque *eo* promiscue et incerte traditam esse, A vero recte *eo* elegisse apparet.

Veniamus nunc ad codicem P. Ex apparatu qui dicitur criticus satis elucet saepissime omnes stare contra Parisinum. Nam P nonnullos locos, quorum difficultates tollere non poterat, resecuit,

---

[1]) cf. cod. Trevirens. 1151, fol. 145r—146v.

[2]) cf. martyr. S. Apollonii, G. 44, 7; 45, 1: *Ἀπολλὼς . . . συλληφθεὶς προσήχθη. οὗ προσαχθέντος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν* . . . et martyr. S. Iustini, G. 18,9 s.: *συλληφθέντες . . . εἰσήχθησαν πρὸς . . . Ῥουστικόν· ὧν εἰσαχθέντων πρὸ τοῦ βήματος Ῥουστικὸς εἶπε . . .*

v. gr. v. 129 s. *si cordi tibi nomina sunt, vocor Agathangelus et Piso . . .*; v. 137 s. *acta sunt haec . . .*; addidit autem ultimam actorum enuntiationem ex epistula ad Timotheum II 4, 7 sumptam et doxologiam: '*Qui bono consūmato cursu perrexit ad dnm Iesum XPM qui ante cuncta scla regnat cu patre et spu sco ꝑ infinita scla scloꝝ. an.*' Aliis locis nova induxit, v. gr. v. 4 *victoriam* pro *victorem,* v. 5 *profectus* pro *provectus,* v. 7 *religionis* pro *regionis,* v. 12 *eum* pro *aevum* et *iuxta* pro *iusta,* v. 14 *urbis* pro *orbis*, v. 18 *vere* pro *vero*, v. 19 *offerre* pro *solvere, persolvit* pro *persolvat, ait* pro *respondit,* v. 20 *fundes* pro *fundis,* v. 21 *qui est in celis* pro *qui est verus,* v. 22 *respondit* pro *dixit, v.* 25 *illum adorare debemus et timere* pro *illum timere debemus,* v. 27 *Adoneus* pro *Adonai,* v. 29 *excelsi dei sedis* pro *excelsae sedis,* v. 30 *philosophia et disputatio* pro *philosophiae disputatio,* v. 33 *dno* pro *nostro*, v. 38 ss. *hoc solum doloris pertulit. quod per se damnum crudele sustinuit. nam ut* . . . pro *nec hoc solum doloris excepit: crudeliori illum damno mox fortuna multavit. nam ut . . .*; v. 42 *quem amabat occidit* pro *quem optabat vivere occidit*, v. 47 *et facta illorum* pro *quorum facta*, v. 56 *latrocinando sceleribus eruditi* pro *latrocinandi arte callentes,* v. 70. 71 *iudicans iudicaberis* pro *ut iudicas,* (*sic*) *iudicaberis,* v. 78 *edictum* pro *est dictum*, v. 80 *negavero* pro *venero*, v. 88 *S. Agacius respondit* pro *respondit Acacius,* v. 92 *adscribas* pro *affirmes*, v. 102 *cognoscitur* pro *nascitur*, v. 104. 105 *ad me deū sacrū conversos* pro *ad mea sacra conversos,* v. 107 *adtende* pro *imitare*, v. 117. 118 *omnia et meruimus et meremur* pro *et meruimus omnia et meremur,* v. 124 *aeternae morti quasiut* pro *ab aeterna morte quasi*, v. 125 *nec* pro *ne,* v. 128 *stingo* pro *exstinguo*, v. 130. 131 *facite ergo* pro *fac iam.* Praeterea P omisit v. gr. v. 38 *nec*, v. 47 *nunc*, v. 79 *et ego,* v. 83 *es*, v. 92 *faciente*, v. 95 *dei*, v. 122 *enim*, v. 124 *et*, v. 126 *ipse*, v. 133 *imperator*, v. 135 *mox.* Hoc quoque praemittam P semper fere exaravisse '*sanctus A. dixit*'; ABT vero nusquam nisi in inscriptione hoc epitheton ornans usurpaverunt. Clare igitur perspicies in P alteram, sed vitiosam actorum recensionem exstare.

Nullus vero liber ex P derivatus est; nam etsi B nonnullis locis cum P concinit — v. gr. v. 3 voce *patientiam*, v. 17 *do-*

minum, v. 32 *dii*, v. 48 *severitatem vestrae* ... *legis*, v. 65 *ipsum* P, *ipsum*$^{+se}$ B, v. 65 *si vero*, v. 74 $\overline{dnm}$, v. 77 *cuius virtus constat in saecula*, v. 80 *iudicaturus* (*-os* P), v. 90 *hominis, v.* 134 *crebre* —, tamen ex P fluxisse nequit, cum perdifficiles locos vv. 129. 130 et 137. 138, quos P omisit, contineat et maxima ex parte eadem fere legat atque AT, si exceperis verborum collocationem quorum ordinem non raro commutavit. Quodsi exhibet v. gr. v. 19 *vota* pro *sacra* et *dixit*: *Responde cui deorum* pro *respondit*: *Cui deo*, v. 43 *ipsi, inquam* pro *huic*, v. 58 *si quisquam* pro *ut quisque* . . .,[1]) haec omnia leviora sunt quam ut longe lateque ea explicare studeamus. Aliis locis B supplevit ea quae sensus desiderare videbatur, v. gr. v. 35 *et divinatori sacrificabo*, v. 45 *sacrificium impendam,* v. 83 exhibet *errorem scil. vestrae persuasionis,* vv. 91. 92 *absit ut tu maiestati divinae contactum puellae mortalis convenisse affirmes.* Libris AT deest verbum '*convenisse*', sed affirmare alicui aliquid eandem vim habet ac firmum alicui aliquid reddere, quod nos Germanice vertimus 'befestigen, bekräftigen'. Quam vim verbo nostro loco non subesse luce clarius est; quod iam intellexerunt P qui eius loco exaravit '*adscribas*' et B qui '*convenisse*' supplevit. Neutrum hoc verbum in archetypo fuisse, sed a P vel B coniectum esse ut errorem tollerent dico. Haud scio an B in hanc coniecturam inciderit loco illo Arnobii adductus: 'nos enim, ne quis forte existimet ignorare, nescire, quid istius nominis *conveniat* dignitati, aut nativitatis expertes deos esse oportere censemus aut si aliquos ortus habent, ab domino rerum ac principe . . . ducimus atque existimamus emissos, immaculatos castissimos puros, nescientes quae sit foeditas ista coeundi.'[2]) Item ut intellectui subveniret, chartae tradidit v. 135 *Marciano quidem.* Recte sane coniecit v. 44. 45 '*adulterae Veneri*' pro '*a. Nemesi*', nam Nemesis nullo loco adultera vocatur, sed scelerum ultrix et bonorum muneratrix habetur et apud paganos et apud Christianos scriptores. Venerem autem cum Marte in adulterio deprehensam esse sescenties apud Christi-

[1]) cf. etiam quae in apparatu critico adnotavi ad vv. 46, 59, 61, 65, 78, 79, 89, 93, 94, 121, 122, 128, 132.

[2]) IV, 19. 20.

anos scriptum invenimus. Ceterum lectionem P *adulter cnemis* nihil aliud esse nisi corruptelam ex *adultere ueneris* ortam duco. B etiam v. 130 recte *Piso* pro *Phiso* correxit. Acacii enim erat *πείθειν*.[1]) Neque v. 7 acquievit verbis *illius regionis*, sed cum nomen regionis nondum accepisset, loco *illius* posuit *anthiochene*. Quod non bene fecit, cum Acacium episcopum fuisse non Antiochiae, sed Melitenae[2]) constet — praeterquam quod in actis quae dicuntur martyrum nomina locorum non raro negliguntur, cum eorum qui acta chartae tradebant nihil interfuerit nisi rem ipsam et virtutem hominum memoria dignorum describere.

Restat ut de T pauca dicamus. Eum eiusdem familiae esse atque A, ex eo apparet quod sicut A exhibet v. gr. v. 42 *ipse qui*, v. 57 *obsederint· ad nocendum*, v. 65 *sin vero*, v. 71 *sic iudicaberis*, v. 74 *deum*, v. 77. 78 *cuius virtute firmata sunt omnia quae constant in saecula* (*-o* T), v. 84 *Acacius respondit*, v. 90 *hominum more*, vv. 104. 105 *conversos. Reliquisse* (*-ere* T), vv. 129. 130 *agathusangelus et Phiso*, v. 134 *tam celebre* (*-is* T, PB vero *crebre*). v. 59 legimus *pecu*^*nia*^*m* A, *pecus iam* T. A certe lectionem '*pecus iam*' habuisse cognosci potest et ex rasura et ex lacuna tanti spatii, quanto ad scribendam vocem '*iam*' opus erat. v. 111 A scripserat '*nocturna*' pro '*nocitura*', correxit autem in '*noc* //*rna*', sed bonam lectionem restituere non potuit. Eandem vocem certe etiam T legerat; cum autem intellexisset eam esse falsam, eam omnino omisit. — Attamen T non ipsum A transscripsit, cum ei singulares libri A lectiones quas supra attuli desint, sed ex communi fonte ea quae ipsi cum A communia sunt hausit. Praeterea T suo Marte exaravit v. gr. v. 12 *perficiat* pro *conficiat*, v. 18 *vos* pro *ille*, v. 35 *accepit* pro *excepit*, v. 105 *fecerant* pro *fuerant*, v. 106 *catholicae religionis et legis* pro *catholicae legis*, v. 125 *pastor* pro *patronus*, v. 127 *possis* pro *valeas*.[3]) Ubi vero T solus cum B concinit: v. 2 *commemoramus*, v. 79 *denegabo eum*, v. 134 *ammirans*, ea ita comparata sunt ut T forte etiam exemplar B recedens ante oculus habuerit.

---

[1]) v. infra p. 18.

[2]) v. infra p. 12.

[3]) cf. etiam notas criticas vv. 9, 31, 37, 45, 46, 47, 53, 57, 62, 65, 68, 79, 110, 111, 114, 119, 121, 125, 137.

Primum haec acta in lucem edita sunt a Mombritio,[1]) deinde a Bollandistis,[2]) qui Mombritii editionem cum quattuor manuscriptis, Trevirensi quem supra iam nominavimus, S. Huberti in Arduenna (H), ecclesiae collegiatae Ultraiectinae Sancti Salvatoris (Us), monasterii Ultraiectini Carthusiani (Uc) contulerunt,[3]) tum a viro doctissimo Ruinartio[4]) qui haec acta typis expressit 'ex cod. mss. illustrissimi abbatis de Noailles cum editis collato.' Quam editionem optime adornavit, quippe qui continenter respiceret et Mombritium et ea quae in recensione Bollandistarum discreparent a suo quidem codice et quae eiusdem propria essent. Valde dolendum est, quod ea folia codicis Noaillini (N) saeculo decimo quarto confecti, quibus acta nostra continebantur, avulsa sunt et perierunt.[5]) Ex quattuor autem notis apud Ruinartium allatis apparet eum exhibuisse v. 7 *illius regionis,* v. 33 *Centroni Salvatori et Apollini per quos ...,* v. 129 *agazangelus*; negligenter autem egit, quod v. 104 pro '*religionis antiquae*' exaravit '*regionis Liantique*'.

Cum Bollandistae saepissime a parte codicis B stent, nescio an hic B sit unus ex tribus manuscriptis, quibus praeter T se usos esse dicunt. Quo reliqua mss., ex quibus Mombritii Ruinartii, ex parte etiam Bollandistarum editiones fluxerunt, dispersa sint, ignoro; equidem illa temporibus turbulentis vergentis saeculi XVIII[i] interiisse puto. Novissime Gebhardtius[6]) editionem actorum nostrorum emisit, quam laudibus efferre non possumus. Nulla fere artis criticae subsidia circumspexit; paucissima sunt quae in recensione a Ruinartio adornata correxit.

---

[1]) Mombritius, Sanctuarium (ca. 1476) fol. IV—VI. Quod exemplar secutus sit nescio.

[2]) Acta sanctorum, Martii A. III. edd. Henschen et Papebroch (Venetiis 1736) p. 904—905.

[3]) v. praefationem l. c. 904.

[4]) Ruinart, Acta primorum martyrum sincera (Veronae 1731) p. 129—132.

[5]) cf. catal. codd. hagiogr. Lat. antiquior. saec. XVI qui asservantur in bibl. nat. Paris. edd. Hagiogr. Boll. I (1889) p. 518, cod. sign. 5289.

[6]) O. v. Gebhardt, Acta martyrum selecta, Ausgewählte Märtyrerakten und andere Urkunden aus der Verfolgungszeit der christlichen Kirche (Berlin 1902) S. 115—120.

Difficultates non raras non sustulit, ut operae pretium sit textum certum statuere.

In recensendis actis nostris neque A neque P ducem sequemur, cum neutrum, ubi singulares lectiones praebet, magni pendendum esse supra intellexerimus. Gravior auctoritas A tum inest, quando eius lectiones libro T, qui non ex ipso fluxit, fulciuntur. Eadem est ratio codicis P, cum B eadem ac P exhibet. Singulis autem locis diligenter et caute deliberandum est utrum AT an PB secuturi simus. V. gr. v. 90 equidem praefero locutionem '*non hominis more*' (PB) alteri '*non hominum more*' (AT), quia redit ad terminum Graecorum usitatissimum et iam a Philone semper usurpatum *οὐχ ὡς ἄνθρωπος*. Si autem iudicium rei quae in discrimine est nullo modo ostenditur, quaestionem, quaenam lectio genuina fuerit, absolvere non possumus. Velut v. 128 existimantibus liberum arbitrium permittitur, utrum ad AT = *meum nomen*, an PB = *nomen meum* se applicare velint. Quae vero de A et P diximus, etiam ad B et T pertinent; singulares eorum lectiones reiciendae sunt, cum depravatae vel coniectura inventae sint, si excipias vv. 44. 45 '*adulterae Veneri*' et v. 130 '*Piso*' quas B bene fundatas restituit.[1])

Ex versibus 129. 130 '*vocor Agathangelus et Piso et Menander*' = *καλοῦμαι Ἀγαθάγγελος καὶ Πείσων καὶ Μένανδρος* et ex v. 82 '*quod d i s c e r e semper optabam*' = *ὃ μαθεῖν ἀεὶ ἐβουλόμην*[2]) luculentissime apparet acta nostra ex archetypo Graeco fluxisse. His quae in dubium vocari non possunt, adiciendum est Acacium episcopum fuisse Melitenae in Cappadocia. Quam qui incolebant, erant ecclesiae Graecae subditi. Cum eos hunc virum sanctum summa in veneratione habuisse atque ipsius cultum in dies crevisse historiae fide comprobatum sit, eorum primorum interfuisse literis mandare quaecumque disputationem Acacii illustrare

---

[1]) v. supra pg. 4 s. et infra pg. 18.

[2]) '*discere*' certe respondet ad illud Graecorum *μαθεῖν*; cf. Mart. S. Iustini. G. 18, 17: *πάντας μὲν λόγους ἐπειράθην μαθεῖν*; Mart. S. Polycarpi G. 5, 27: *εἰ . . . θέλεις τὸν τοῦ Χριστιανισμοῦ μαθεῖν λόγον*; Mart. S. Carpi G. 14, 16: *θέλεις δὲ μαθεῖν ὅτι ἀληθές ἐστιν τοῦτο*; ibid. 15, 32: *Θέλεις μαθεῖν ὅτι οὐ ψεύδομαι, ἀλλ' ἀληθῆ λέγω;*

eis videbantur necesse est. Eos haec sua lingua, Graeca, fecisse nemo est qui neget. Quod cum me non fugisset, Albertum Ehrhardum, virum doctissimum, adii; qui textum Graecum in bibliotheca synodali Mosquensi exstare me monuit. Cuius phototypia sumpta ex codice R 376, qui foliis 269 continet menologium mensum februarii et martii, iam dudum ad me pervenerat, cum Latyšev totum menologium in lucem emisit.[1]) Menologium ipsum specimen pulcherrimum codicis miniati, litera autem minuscula exarati praebet[2]) et ad saeculum undecimum p. Chr. n. redit.[3]) Actis quibus de Acacio nostro agitur, anteposita est effigies huius episcopi; quod mirum non est, cum semper fere in codice nostro hoc factum sit. Ipsa *ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀκακίου ἐπισκόπου Μελιτηνῆς* invenitur in fol. 266 v—268 r. Interea etiam in bibliotheca Bodleiana Oxoniensi asservari ms. nondum in lucem tractum (O) ex Alberto Ehrhardo accepi. Revera cod. Baroccianus Graecus 148, chartaceus saeculi decimi quinti, foliis 314 v—315 r brevem Acacii vitam amplectitur.[4]) Cum vitia in R omnino fere desint, O permulta in prosodiam peccavit. Eum neque ipsam declinationem neque flexionem novisse v. gr. loco *πασα αρετῇ και συνέσει και κοσμιμένος* (= v. 5) probatur. Nam quod legit *συνέσει,* scire debuit *ἀρετῇ* esse casum dativum, ego *πάσῃ ἀρετῇ* exarandum esse. Item eum fugit participium perfecti passivi reduplicari in *κεκοσμημένος*, quare in errorem lapsus est ut scriberet *και κοσμιμένος*. Alia vitia, v. gr. *μελητίνης* pro *Μελιτηνῆς*, *διδακτηκός*

---

[1]) Latyšev, Menologii Anonymi Byzantini quae supersunt. Fasciculus I, Petropoli 1911. — Vitam Acacii nostri ibidem invenies pg. 298—300.

[2]) Descriptus est hic codex primum lingua Russica in catalogo mss. Graecorum bibl. synodalis Mosquensis a Vladimirio (1894) pg. 561—566, deinde a H. Delehayio apud Graffin — Nau, Patrologia Orientalis II 4 (1905), postremo vero a Latyšev l. c. in praefatione.

[3]) conferas velim quae A. Ehrhard scripsit in „Röm. Quartalschrift für christl. Altertumskunde und für Kirchengeschichte“ XI (1897) 121 ss., eiusdemque adnotationes in ‘Byz. Zeitschrift’ XIX (1910) 538—543.

[4]) *Βίος ἐν συντόμῳ τοῦ ἁγίου . . . Ἀκακίου* non continetur fol. 314—319, ut dicit Catalogus, sed fol. 315 r—319 v sequitur vita Malchi illius, de quo iam Hieronymus loquitur. — Alium autem actorum Graecorum textum, quem in insula Patmo exstare A. Ehrhard benignissime me docuit, habere non potui.

pro *διδακτικός* . . . *τῶν θρόνων* pro *τὸν θρόνον, αννγαγε* pro *ἀνήγαγε* inde explicantur quod scriptores Byzantinae aetatis persaepe literas vocales inter se confundebant et in conficiendis opusculis nihil curae adhibebant.

R et O magnopere inter se discrepant; duae diversissimae sunt recensiones. R ea quae O breviter exponit multis verbis ornate et copiose dicit et summa rhetorum pompa utitur. Quot verba facit vv. 3—15 ut id nos doceat: Decii temporibus Marcianus consularis Acacium episcopum Melitenensem ad se adduci iussit. In O Marcianus non dicitur crudelis fuisse neque quaerit, nonne Christum deum, deos vero muta simulacra esse dicat. Neque in O formulam *εἴπερ ἀνεξικάκως* . . . neque illa omnia, quibus Marcianus Acacium libere loqui iubet, invenimus. R autem locum quo Seraphim et Cherubim commemorati erant, quod non intellexit quid haec verba sibi vellent, ubi de Christo verba fierent, eiecit. Arrisit vero eum permulta narrare de Christo, compendium Christologiae quam vocant, componere. Tum ad idem, quod O perhibet, revertitur: deos gentium verbis castigat variaque genera tormentorum, quibus Acacius afficitur, enumerat. O id solum dicit: *Ἀκάκιος στηλιτεύει τὰ μυθώδη τῶν Ἑλλήνων θεῶν καὶ βασάνους δέχεται.* R diem obitus Acacii omisit; etiamsi ei non ignotus erat, hunc tamen addere noluit, quia non bene quadrasset ad menologium, in quo certamen Acacii pridie Kal. Apriles inseruit. Est etiam discrimen inter modum precum librorum R et O; in R ipse sanctus invocatur, ut imperatori dona dei imploret, in O autem Christus, qui preces Acacii respiciat omnibusque pacem in terra et post mortem regnum caelorum donet.

R et O non modo inter se, sed etiam ab actis Latinis discrepant. Rarissimi enim sunt loci quibus non frustra textus Graecus inspiciatur. Sed de ratione quae inter acta Latina et Graeca intercedit plura infra dicemus.

§ 2.
De emendandis locis.

Illa opusculi nostri parte, qua de mss. et editionibus actorum nostrorum egimus, profligata iam eos tractabimus locos qui in

ipsis codicibus corrupti sunt. Ac primum quidem acta Latina absolvantur.

v. 1. Actorum si perlustras inscriptionem, eam non antiquitus traditam, sed ab eis qui passionaria quae dicuntur confecerunt, praemissam esse facile tibi persuades. Actis nostris non continetur passio Acacii neque id agitur, ut nobis martyrium ostendatur, sed disputatio. Quare offendimus in inscriptione „*incipit passio* . . .“; genuina enim inscriptio in rem actorum quadrare debet. Quod bene intellexerunt et Mombritius, qui typis nihil expressit nisi '*de S. Achatio*', et Bollandistae, qui non dubitaverunt acta nostra inscribere: '*Acta disputationis S. Acacii*'. Nemo vero divinare poterit, quaenam vera fuerit inscriptio deperdita.

Nomen Acacii, ut vides, in singulis libris mutatum est. Scriptura Graeca erat *Ἀκάκιος*, ergo Latine verti debuit *Acacius*.[1]) Non est cur moneamus reiciendam esse eam quam Franciscus Goerres proponit lectionem *Achatius* ob eam solam causam, ut distinguatur noster Acacius ab aliis eiusdem nominis hominibus.[2])

v. 4. Nescio an post primam enuntiationem: 'Quotienscumque . . . in gloria' verba, quibus transitus ab exordio generaliter dicto ad tractationem peculiarem efficiatur,[3]) interciderint. Quae autem fuerit haec sententia, ignoramus neque eam supplere possumus.

v. 5. *Marcianus itaque* . . .] Genuina est scriptura codicum PB *Marcianus* = *Μαρκιανός*. Quod nomen erat usitatissimum apud Romanos; quis autem fuerit Marcianus qui Acacium interrogavit, ex prosopographia imperii Romani cognoscere non potes, cum nullus Marcianus Cappadociae praefectus ibi enumeratus sit. Ex eo enim quod Marcianus Acacium ante tribunal suum citavit, apparet Marcianum praefectum vel praesidem fuisse eius provinciae in qua sita erat Melitene, Cappadociae. Vocem

---

[1]) Etiam in martyrologio Hieronymiano (Migne, Patres Latini 30, 489) et Rhabani (Migne P. L. 110, 1137) Achacii, apud Bedam autem (ibidem 94, 870) Lacacii (?) mentio fit.

[2]) v. Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie XXII (1879) 79.

[3]) Conferas velim v. gr. exordium martyrii S. Pionii G. 96, 2 ss. et S. Irenaei episcopi Sirmiensis G. 162, 2 ss.

'*itaque*' deleri non oportet, quamquam nostro loco consecutivo modo non usurpatur; *itaque, igitur* enim apud Nepotem et scriptores serioris aetatis adhibentur, ut his coniunctionibus tractatio cum inscriptione conectatur. Velim conferas Nepotis vitas Themistoclis, Alcibiadis, Thrasybuli, Timothei, Chabriae, Epaminondae ... Ex actis autem martyrum haec quae ex codice T sumpsi, in medium proferre mihi liceat: 'Incipit Vita S. Zenonis. Igitur Zenon a cunabulis inductus ...';[1] 'passio S. Georgii: Tantas itaque atque tales martyrum laudes ... nullus omittit ... enarrare. Datianus igitur imperator ...'[2] Idem nobis occurrit in voce Graeca *τοίνυν*, ut in vita Apollonii: *Ἀπολλωνίῳ τοίνυν πατρὶς ἦν Τύανα*[3] et in vitis sophistarum passim; neque praetereo locum vitae Acacii nostri: *Βίος ἐν συντόμῳ τοῦ ἁγίου ... Ἀκακίου ἐπισκόπου ... οὗτος τοίνυν ὁ ἅγιος καὶ μέγας ...*[4]

v. 7 *illius regionis]* ita ATN; *illius religionis* P; *anthiochene regionis* B. '*regionis*' cum voce '*religionis*' cui inest similis sonus confusum esse dico. Quod eo facilius fieri poterat, quoniam nomen regionis interciderat et locutio 'illius regionis' nihil iam dicere videbatur. 'Anthiochene' autem interpolationem esse iam supra diximus.[5] Haud scio an haec ipsa redeat ad martyrologium Hieronymianum ubi scriptum legimus: 'a. d. IV. Kal. April. ... in Antiochia Theodori Iuliani Achacii'.[6] Acacium enim non modo in ecclesia Melitinensi, sed etiam in Antiochena summis honoribus affectum esse verisimile est, cum singulae ecclesiae non modo suos sanctos, sed etiam externos coluerint. Cum autem scriptor Mart. Hieron. non paucorum sanctorum nomina ex Antiochenae ecclesiae fastis sumeret, facile, praesertim cum Kalendaria nihil fere nisi nomina sanctorum exhiberent, induci poterat ut Acacium unum ex Antiochenae ecclesiae sanctis esse putaret et exararet: '*in Antiochia ...*' Qua re fortasse factum est ut scriba quidam actorum nostrorum scripturam superscriptam vel mar-

---

[1]) fol. 155 r.
[2]) fol. 217 r., cf. fol. 218 v. et 161 r.
[3]) I 4.
[4]) v. infra p. 54.
[5]) v. supra p. 5.
[6]) Migne P. L. 30, 489.

ginalem 'anthiochene' addiderit, B vero ipsam tacite reiecta ea lectione quam AT exhibent in textum receperit. Nos vero tenemus lectionem '*illius regionis*' = Cappadociae, Melitinensis regionis. Ex textu enim Graeco non modo Acacium episcopum Melitenae fuisse cognoscimus, sed etiam Marcianus *δεινὸς δὲ οὗτος ἀνὴρ καὶ ὕπατος τὸ τηνικαῦτα Μελιτηνῆς* fuisse dicitur.[1]) Cum autem scribae Latini ecclesiaeque Romanae non interesset, quo loco haec disputatio facta esset, nomen regionis intercidit. Contra eos vero qui Acacium episcopum Antiochiae Pisidicae fuisse docent,[2]) iterum moneo textu Graeco Acacium ecclesiam Melitinensem rexisse comprobatum esse. Neque Acacium Antiochiae versatum esse, cum impetus fierent in Christianos (sicut eisdem temporibus Romae complures episcopi una morabantur) et ad eum totum populum concurrisse eumque pro suo scuto ac refugio habuisse credi potest. Nam hic illorum pastor non erat, sed alteri cura eorum commissa erat.

v. 17 vestigiis AT insistam scribendo '*deum*'; perfacile enim dm confundi potuisse cum dnm nemo est qui neget. Quae vox 'deum' flagitatur altera ei opposita 'homini' (v. 19). Acacius dicit se non homini, sed deo, qui est verus et magnus, sacrificaturum esse, neque Marcianus (v. 20) interrogat quis sit dominus, sed deus, quem adoret. cf. etiam locum martyrii S. Polycarpi *ὁ ἀψευδὴς καὶ ἀληθινὸς θεός*[3]) multosque alios.

In textu Latino v. 28 intercidisse '*cherubin et*' ante '*seraphin*' ex eo apparet, quod 'excelsae sedis antistes' est seraphim (cf. Is. 6, 1), 'altissimi dei minister' autem cherubim (Gen. 3, 24), et quod in actis Graecis Acacius, quid sit seraphim et cherubim, exponit.

v. 32. *Qui sunt illi quibus* . . .] AT; *qui sunt dii quibus*] PB '*dii*' glossam esse ex antecedenti enuntiato ductam puto qua reiecta est lectio genuina '*illi*'. Voce enim '*illi*' contemptus

---

[1]) v. infra R vv. 14, 15.

[2]) Allard, Histoire des persécutions pendant la première moitié du troisième siècle (1886) p. 412. J. Gregg, The Decian persecution (1897) p. 213. O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur (1903) II p. 632. A. Linsenmayer, Die Bekämpfung des Christentums durch den römischen Staat bis zum Tode des Kaisers Julian (1905) p. 140.

[3]) G 7, 29.

deorum Marciani melius significatur quam si Acacius vocem '*dii*' repetivisset.

v. 33 *Apollini servatori nostro* . . .] Haud scio an in archetypo '*Chresterio*', quo cognomine Apollinem non raro nominatum in titulis Graecis vides, fuerit. Perfacile enim fieri poterat, ut haec vox in *Centresio* (A), *Centroni* (N), *Contrescio* (Mombr.) depravaretur, a PBT vero, cum non intelligeretur, omnino omitteretur. Equidem hanc quaestionem diiudicare nondum audeo.

v. 35 propono lectionem '*illi futuri, ut putatis, interpreti*'. De vi enim vocis *interpretis* erudimur glossa '*et divinatori*' (B); synonyma quoque est cum '*divinus*' (v. 37)[1]) sive vates sive *προφήτης*. Quid autem Apollo vaticinari debet? Futura vel futurum. Praeterea lectio '*futuri*' insequenti locutione '*ignarus futuri*' (vv. 41. 42) fulcitur.

v. 42 '*quem optabat videre, occidit*' corrigimus in '*quem optabat vivere, occidit*'. Nam Apollo, si solum videre Hyacinthum cupiebat, non erat miser atque ignarus futuri quod eum occidit, cum id quod agebat assequeretur: vidit Hyacinthum. Miserum atque ignarum futuri Apollinem ea condicione, ut viventem Hyacinthum videre voluerit, viderit autem mortuum, dicere possumus. Recte quidem P haesit in verbo *videre*, non bene tamen fecit quod lectionem '*optabat videre*', quam corrigere non poterat, delevit et eius loco '*amabat*' posuit.

vv. 45. 46 *vel huius vitae, vel huius exitii? adorabo ergo eos quos* . . .] ita P. Dis, inquit Acacius, qui tam turpis 'huius vitae vel huius exitii' fuerunt, sacrificare me iubes? Eos, quo ne imitor quidem, adorabo? — Eadem verba ac P exhibet A, graviter autem peccavit quod perperam interpunxit et ita exaravit: '. . . *vel huius exitii adorabo. Ergo eos quos* . . .' Quod fecit somnolentia pressus; scire enim debuit non dici adorare alicui, sed aliquem, neque eum exarantem '*Ergo eos quos* . . .' omitti verbum finitum fugere oportuit. Quod intellexit T; posuit '*immolabo*' pro '*adorabo*' et postquam '*ergo*' in '*ego*' depravavit, verbum '*colam*'

[1]) cf. Arnob. I 26: Delius Apollo . . . habendus divinus est, qui aut summum imperatorem nescit aut ignorat a nobis cotidianis ei precibus supplicari? — Lact. inst. I 7, 1: Apollo quem praeter ceteros divinum maximeque fatidicum existimant.

addidit (= *immolabo? Ego eos colam quos . . .*). B autem glossam marginalem '*sacrificium impendam*' in textum recepit et cum particulam interrogativam '*-ne*' addere vellet, verborum collocationem leviter mutavit (= *exitii sacrificium impendam? Ergone eos adorabo, quos*).

v. 48 *severitatis vestrae non poterit leges effugere.*] Hanc codicum AT lectionem praefero alteri '*severitatem vestrae non poterit legis effugere*', quia haec verborum collocatio in actis nostris inusitata esse videtur.

vv. 49. 50 *Christianorum consuetudo haec est . . .*] Voculam '*haec*' teneo cum AT, quia ipsa transitus a priore enuntiatione ad nostram efficitur et quia hanc ipsam pulchriorem reddit.

vv. 67—71 verba '*propheta clamat in terminans . . . sic et erit tibi*' inserta esse arbitror. His enim locis ex scriptura sacra sumptis conexio verborum quae facit Acacius et quae respondet Marcianus, non fit artior, sed turbatur. Acacius enuntiatione: '*horum si reus sum . . . non legis, sed iudicis voluntate condemnor*' se iniuste damnari Marciano opprobrio dedit. Quod Marcianus his verbis: '*ego non sum iussus iudicare, sed cogere*' infringere conatur. Suum non esse inquirere, utrum Acacius iuste an iniuste damnaretur, sed se iussum esse Acacium cogere, ut diis sacrificaret, dixit. Non igitur bene fecit interpolator, quod a verbis '*iudicis voluntate condemnor*' generaliter de iniuria ac iniustitia iudicum loquendi initium cepit et iudicem eo movere vult, quod 'ad iudicium tuum, inquit, quo alios homines iudicas, deus omnia quae tu fecisti, referet; suum iudicium ad tuum exemplum conformabit: male tibi erit'.

vv. 77. 78 *cuius virtute firmata sunt omnia quae constant in saecula]* ita AT; reliqui vero: *cuius virtus constat in saecula.* Lectionem librorum AT ad archetypum redire eaque idem exprimi ac loco epistulae Clem. Rom. ad Corinth. 10, 1: *σὺ τὴν ἀέναον τοῦ κόσμου σύστασιν διὰ τῶν ἐνεργουμένων ἐφανεροποίησας* puto. Non vero omnibus ipsa placuit, quia Christiani posterioris aetatis mundum et omnia quae sunt in mundo interitura esse docebant. Deum solum constare in saecula ipsiusque virtutem esse sempiternam credebant secuti illud scripturae sacrae: *εὐφρανθησόμεθα ἐπ' αὐτῷ, τῷ δεσπόζοντι ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ*

τοῦ αἰῶνος (ψ 65, 7) *ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης* (Rom. 1, 20). His locis eos esse adductos ut corrigerent lectionem librorum AT suspicor.

vv. 91 ss. Quare cum PB legam '*non hominis more*', supra iam dixi. Cur autem aliam enuntiationum collocationem facere proponam, has habeo causas: enuntiatio: '*nam absit ut tu maiestati divinae contactum puellae mortalis affirmes*' est parenthesis qua explicatur: '*non hominis more deus filium ex muliebri coitu genuit*'. Accedit quod sententia: '*sed Adam primum dextera sua faciente formavit*' parenthesi illa intermittitur, enuntiatione autem: '*luto primi illius hominis . . .*' sine intervallo verba '*sed Adam primum . . . formavit*' explanantur.

v. 95 omnes codices exhibent '*sic et filius dei . . .*'. '*Sic et*' mendosum esse intelligis; ea sola condicione rectum esset, si etiam primus ille homo ex dei corde processisset. Atqui deus Adam dextera sua formavit, ergo ex dei corde non processit: '*Sic et*' depravatum esse ex '*sec ⟨undus autem⟩*' dico, cum animo meo comparatio illa epistulae I Cor. 15: *ὁ πρῶτος Ἀδάμ, ὁ πρῶτος ἄνθρωπος γῆς χοϊκός*, et *ὁ ἔσχατος Ἀδάμ, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ* obversetur.

v. 100. '*Si in corpore non est, etiam cordis ignarus est ⟨et sensus⟩. nam sensus . . .*' Ego '*et sensus*' addidi, quod, nisi haec legimus, conexio idearum turbata esse videtur et transitus a priore enuntiato ad alterum deest: Quis enim intelligat verba: 'Si in corpore non est, etiam cordis ignarus est, nam sensus non potest esse sine membris'? Sensus nostro loco vim non habet vocis Graecae *αἰσθητήρια*, sed *αἴσθησις* cui subest notio et sentiendi et cognoscendi.[1]) A Marciano id positum est omne quod est corpus esse neque in mente facultatem esse cuiusquam rei cognoscendae, cuius notitiam membra (= sensus (pl.), *αἰσθητήρια*) ei prius non invexissent. Respicit notum illud: Quidquid animo cernimus, id omne oritur a sensibus. Acacius autem nihil cognosci solis membris affirmat; membra per se ipsa vita carere, nisi eis accedat *τὸ ἡγεμονικόν* [2]) — quod a veteribus

---

[1]) cf. Ludwig Stein, Die Erkenntnistheorie der Stoa (Berliner Studien für klass. Philol. u. Archäol. VII 1888) 133 ss.

[2]) v. Stein l. c. 133.

etiam *νοῦς, διάνοια, ψυχή* = intellectus, sapientia, spiritus[1] vocabatur — *τὸ ἡγεμονικόν* (sapientiam) autem originem suum non ducere ex corporis membris, sed a deo dari.[2])

vv. 103 ss. *[Cata]phrygas aspice [h]om[i]nes religionis antiquae ⟨et⟩ ad mea sacra conversos reliquisse quod fuerant* . . . Primum dicendum est et formam *Cataphrygas* et *Cataphryges* rectam esse; usitatior autem videtur esse nostra *Cataphrygas,* quam veteres scriptores a casu nominativo Cataphrygae derivabant. Rufinus in historia ecclesiastica semper hanc formam usurpat, v. gr. 4, 27 . . . libros . . . adversum Cataphrygas; 5, 14 de pseudoprophetis Cataphrygarum.

Nostro vero loco Marcianum non locutum esse de Cataphrygis, Montani asseclis, inter omnes constat, nam eos neque ut Christianos neque ut haereticos appellare potest '*homines religionis antiquae*'. Praeterea paucissimi a re Christiana defecerunt et diis immolaverunt. Quintum quendam diis sacrificasse ex martyrio S. Polycarpi[3]) novimus; plures autem sunt loci quibus Cataphrygas fortiter se gessisse probatur. In actis Carpi mulier quaedam Agathonice in ignem ipsa se iecit ne religionem suam denegaret,[4]) et in martyrio S. Pionii Eutychianum *ἕνα ἐκ τῆς αἱρέσεως τῶν Φρυγῶν* ad bestias damnatum esse legimus.[5]) Cataphrygae sibi multos esse martyres gloriabantur et Eusebius clare atque distincte loquitur *περὶ τῶν ἀπὸ τῆς Φρυγῶν αἱρέσεως λεγομένων μαρτύρων.*[6]) Ipsi id agebant ut pro Christo mortem occumberent, nam 'spiritus omnes paene ad martyrium exhortatur, non ad fugam'.[7]) Cataphrygas igitur nostro loco non esse Montanistas, sed *τοὺς κατὰ Φρυγίας ὄντας* (cf. illud N. T. '*τοὺς καθ' ὅλης Ἰουδαίας*') vel *τοὺς Φρύγας* vides. Equidem in archetypo Graeco haec fere verba fuisse puto:

---

[1]) cf. Tert. De an. 3; Stein l. c. 105, 107.

[2]) cf. Senec. consol. ad Helv. 6; ep. 66; Epictet. dissert. II 8; Christ. script. passim.

[3]) G. 2, 33 ss.

[4]) G. 16, 22 ss.

[5]) G. 104, 26 ss.

[6]) H. E. V 16, 20 ss.

[7]) Tert., De fuga 9, 1.

πάντας τοὺς κατὰ Φρυγίας ὁρᾷς τῆς ἀρχαίας ὄντας λατρείας καὶ τὰς ὑπ' ἐμοῦ προσταττομένας θυσίας ἀναδεξαμένους, λιπόντας ὅτι ἦσαν καὶ μεθ' ἡμῶν τοῖς θεοῖς σπεισαμένους. In enuntiatione igitur Latina accusativum pluralem partic. praes. verbi esse (*ὄντας*) et voculam '*et*' (*καὶ*) intercidisse puto. Phrygum exemplo Marcianus utitur, ut Acacium moveat ut secum dis sacra faciat: Phryges omnes denuo esse religionis antiquae, paganorum deos colere dicit. Sacra quae ego fieri iussi, inquit, reddiderunt; quod antea fuerunt, reliquerunt et nobiscum diis vota persolverunt. Interpolator autem Christianus qui odio in Cataphrygas flagrabat, *τοὺς κατὰ Φρυγίας* corrupit in *τοὺς κατὰ Φρύγας* = Cataphrygas, et eos, quos rem catholicam non sequi scivit, diis immolantes fecit. Aliam vim subdidit verbis *πάντας τῆς ἀρχαίας ὄντας λατρείας*; Cataphrygis illudit quod *πάντας* mutat in *ἄνδρας*; eos nominat '*homines religionis antiquae*', quod Cataphrygae apud se rem Christianam ortam esse dicebant, quamquam eorum auctor multo post Christum vixerat. Valde igitur eis insultat quod eos ut '*homines religionis antiquae*' ad paganorum sacra conversos facit.[1])

v. 120. Loco Minucii Felicis 8, 4: 'templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra' adductus sum ut vocem '*destruimus*' corrigerem in '*despuimus*'; praeterea hanc vocem melius respondere ad insequentem '*timetis*' et facillime in 'destruimus' abire potuisse dico.

v. 125. *Marcianus ait: Da nomina ne poenae ipse succumbas.*] Acacius autem recusat ne nomina aliorum Marciano tradat; immo vero ex se non aliorum, sed sua nomina a praefecto quaeri simulat eumque ita irridet: '*ante tribunal ipse assisto et nomen inquiris . . .? si proprium meum nomen exploras . . .*' Quodsi Acacii verba ita intelligenda sunt, neque enuntiationem '*an speras quod multos valeas vincere, quem ego solus exstinguo?*' uncis includere dubitamus, quia hac sententia conexio idearum turbatur

---

[1]) cf. B. Aubé, L'Eglise et l'Etat dans la seconde moitié du troisième siècle [2] (1885) p. 193: Cette accusation d'apostasie jetée contre les Montanistes est un trait de haine ecclésiastique. C'est l'auteur anonyme des actes qui les hait comme hérétiques ou schismatiques qui le leur lance en passant et pour que ce trait les atteigne plus sûrement, il le prête au juge romain.

et acumen responsionis Acacii obtunditur. Illud quoque luce clarius est verba '*si cordi tibi nomina sunt*' coniungi debere cum '*vocor Agathangelus et Piso . . .*' et '*si proprium meum nomen exploras*', cum '*Acacius dicor*'. Acacius enim est nomen proprium, reliqua vero nomina potius sunt cognomina. Acacius Agathangelum Pisonem Menandrum se nominare potuit, cum mos esset hominum illius aetatis, praesertim Christianorum, ut sibi cognomina imponerent.[1]) His ipsis '. . . signum invenias quod erat dum vita maneret'.[2]) Episcopum enim Acacium fuisse historiae fide comprobatum est; idem etiam ex his actorum nostrorum locis: 'Marcianus . . . Acacium ad se iussit adduci, quem scutum quoddam et refugium illius regionis audierat' (vv. 5—7) et 'veniat tecum totus populus qui ex tuo pendet arbitrio' (v. 108) concludere licet. Episcopi autem est verba salutis atque gratiae facere apud populum, evangelizare = *ἀγαθὰ ἀγγέλλειν, ἀγαθάγγελον εἶναι*, et iam in apocalypsi episcopi oppidorum Ephesi, Smyrnae, Pergami . . . angeli vocantur.[3]) Hoc autem loco addere mihi liceat etiam duos versus ex Menaeis sumptos:

Ἀκακίῳ θνήσκοντι τῷ γῆς ἀγγέλῳ
Χώραν ἑτοιμάζουσιν ἄγγελοι πόλου.[4])

Etiam Pisonem Acacius se nominavit: Marcianus ei ut populum moveret, ut diis immolarent, persuadere voluit;[5]) ipse vero gregi suo persuadet ut dei praeceptis oboediant. Meminit illud apostoli: *κήρυξον τὸν λόγον, ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔλεγξον, παρακάλεσον,*[6]) quin etiam paganos ad religionem suam convertere temptat.[7]) Neque est cur miremur, quod Acacius Menandrum se vocavit.

---

[1]) cf. A. Harnack, Militia Christi 35 n. 2: Die Sitte, einen neuen Namen anzunehmen, gewann, wie es scheint, im ganzen Reich im 3. und 4. Jahrh. eine immer größere Verbreitung. — id., Die Mission und die Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten (1902) 304 ss. Ernst Diehl, Das Signum, Rheinisches Museum 62 (1907) 391 ss.

[2]) cf. Bücheler, Carmina epigraphica n. 1814.

[3]) 2, 1. 8. 12. 18; 3, 1. 7. 14.

[4]) cf. Boll. l. c. 903.

[5]) cf. martyr. S. Polycarpi G. 5, 28 s. *ἔφη ὁ ἀνθύπατος· Πεῖσον τὸν δῆμον.*

[6]) II. Timoth. 4, 2.

[7]) cf. Acta Pionii G. 102, 9 s.: *Εἴθε ἠδυνάμην ἐγὼ ὑμᾶς πεῖσαι Χριστιανοὺς γενέσθαι.*

Menander = sustinens virum. Quem virum? Nempe ipsum Marcianum qui variis suppliciis Acacium ut dis sacrificet affecturus est. Quae voces *Agathangelus Piso Menander* quid sibi vellent scriba cum non intellegeret, post *Piso* addidit *Traianorum (= Troianorum?) episcopus*, post *Menander* vero *presbyter*. Haec verba fortasse etiam hac de causa in textum intulit quod episcopum quendam Traianorum et presbyterum, qui ita nominabantur, noverat. Non vero respexit illud tunc unum eundemque hominem iam non nominatum esse modo episcopum modo presbyterum, cum hae duae notiones ab anno 175 p. Chr. n. non promiscue usurparentur, sed utrique propria vis subesset.[1]) Neque idem episcopus Melitenae Acacius, Troiae (?) autem Piso vocabatur[2]) neque officio episcopi Melitenae fungebatur, nominabatur vero episcopus Traianorum. Illam librorum ABT lectionem rectam non esse iam Uc, qui exhibet '*Piso Traianus*' (quod in Us depravatum est in '*Pistotraianus*') intellexisse videtur.[3]) Equidem in textu Graeco nihil nisi haec fuisse puto: *εἰ ὀνόμασι χαίρεις, Ἀγαθάγγελος καλοῦμαι καὶ Πείσων καὶ Μένανδρος.* Graviter erraverunt etiam Bollandistae qui post verba '*vocor Agathangelus*' lacunam hiare suspicati sunt; quam suppleverunt verbis: '*et socii mei*'.[4]) Quod facere non potuerunt, nisi textum neglexissent: 'Marcianus ait: Omnium trade mihi nomina respondit Acacius: Nomina eorum caelesti libro et divinis paginis sunt annotata. quomodo ergo oculi mortales aspiciunt, quod immortalis virtus dei et invisibilis annotavit?'

v. 137 s. Ultima actorum enuntiatione is qui acta in passionarium recepit, indicare voluit quo die Acacius vel tam bene disputavisset vel e custodia dimissus esset. Revera non pauci persecutionem illam Decianam a. d. festum Paschae anni ducentesimi quinquagesimi primi exstinctam esse dicunt. Praeterea

---

[1]) cf. Funk, Kirchengeschichte [4] (1902) 46 s.; Sägmüller, Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts (1900) 28 ss.

[2]) Praeterquam quod antiquis temporibus duae provinciae in manu unius episcopi non fuerunt.

[3]) cf. notam Bollandistarum l. c. 905.

[4]) l. c. 1905; apud Ruinartium autem p. 199 § 2. cf. Lenain de Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique III 2, 214. 219.

ecclesiam Graecam a. d. IV. Kal. April. Acacium nostrum venerari ex Synaxario maiore Basilii cognoscimus.[1]) Quodsi sumimus Acacium hoc die coli quod ipso in libertatem vindicatus sit, illud quoque perspicuum est cur noster eo die quo mortuus est (*μηνὶ Ἀπριλίῳ ις'* — O v. 22) non celebretur. Scribam autem Graecum haec scripsisse puto: *ταῦτ' ἐπράχθη ἐπὶ Μαρκιανοῦ ἀνθυπάτου βασιλεύοντος Δεκίου πρὸ τεσσάρων καλανδῶν Ἀπριλίων* = 'acta sunt haec Marciano consulare sub imperatore Decio quarto Kalendas Aprilis'. A vero ignorans quidem acta non esse publica, iudiciaria, verbis '*acta sunt haec* . . .' eschatocollum quod dicunt actorum exprimi opinatus est terminumque technicum officii quod notarii pro tribunali praestabant adhibuit: '*acta confecta sunt* . . .'

Venimus nunc ad textum Graecum.

R 1 s. *Ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀκακίου ἐπισκόπου Μελιτηνῆς τοῦ ὁμολογητοῦ.*] Cum Acacius mortem non subierit, hanc vocem delendam esse forsitan quis putet. Quod fieri debere nego; scimus enim a saeculo p. Chr. n. quarto martyres nominatos esse omnes qui propter eximiam virtutem suam digni habebantur quos populus Christianus coleret atque imitaretur. Hoc epitheto ornanti Gregorius Nazianzenus Basilium Magnum praedicavit[2]) et Hieronymus in ep. 108 ad Eustachium 31 haec scripsit: 'Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotae mentis servitus immaculata quotidiana martyrium est'.[3]) Primis autem temporibus illi Christiani qui non mortem, sed aliqua tormenta pro Christo subierunt, non martyres, sed confessores = *ὁμολογηταί* vocabantur.[4]) In actis igitur Graecis Acacius hoc cognomen habet, quod et O et R eum poenas pro fide Christiana subeuntem faciunt. Quoniam autem, ut diximus, posterioris aetatis homines liberaliter voce martyris utebantur, mirum non est quod noster et *ἱερομάρτυρ* et *ὁμολογητής* vocatur.

---

[1]) Migne, P. Gr. 117, 37: *μηνὶ τῷ αὐτῷ (Μαρτίῳ) κθ' . . . μνήμη τοῦ ἁγίου Ἀκακίου τοῦ ὁμολογητοῦ.*

[2]) Orat. 41, 20: *μάρτυς τοῖς μάρτυσι προσετέθη.*

[3]) cf. etiam Ambros. in psalmum 118, 47; Pseudocypr., De duplici martyrio (Corp. script. eccl. Lat. III 3, 220 ss); Commodiani Instructiones II 14 ss.

[4]) Certe omnis martyr confessor, non omnis confessor martyr erat. cf. Gerhard Rauschen, Ein letztes Wort über das Zeitalter Kommodians (1911).

Scribam codicis O negligentissime egisse in transscribenda vita Acacii ex ipsa inscriptione apparet: 1 s. *Βίος ἐν συντήμου τοῦ ἁγίου καὶ ὁμολογητοῦ Ἀκακίου . . .*] *ἐν συντήμου* depravatum est ex *ἐν συντόμῳ*; in emendanda autem lectione *τοῦ ἁγίου καὶ ὁμολογητοῦ* duae nobis patent viae: aut delemus *καὶ* post *ἁγίου* aut ante *ὁμολογητοῦ* aliquam vocem supplemus. Ego hoc praefero, quia in vitarum sanctorum inscriptionibus saepissime *ἁγίου καὶ ἐνδόξου* legimus, v. gr. Oxon. Barocc. 197 fol. 544: *Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Δημητρίου*; Paris. 401 fol. 117: *Μαρτ. τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Γεωργίου.*

v. 2 *εὐλόγησον, πάτερ.* Haec verba ad Acacii vitam non pertinent, sed illis is qui legit, benedictionem quam dicunt, a praeposito abbate vel episcopo petit. Eisdem igitur hanc vitam in usum ecclesiae, ubi legeretur, scriptam esse probatur.

§ 3.
De indole actorum.[1]

Sed haec omnia quae in recensendis Acacii actis corrigenda vel observanda esse huc usque diximus, leviora sunt; quae nunc sequuntur, graviora esse videntur. Contendimus enim non modo singula verba depravata esse, sed totum textum et Latinum et Graecum interpolatoris manu corruptum esse.

Acta Latina (acta disputationis S. Acacii) singularem locum tenere luce clarius est. Acacius enim mortem non occubuit pro re Christiana ut Polycarpus, Irenaeus, Pionius multique alii qui actis martyrum celebrantur, sed e carcere dimittitur: 'lectis itaque omnibus gestis Decius imperator altercationem tam celebrem responsionibus admirans versus in risum est et Marciano mox praefecturam Pamphyliae dedit, Acacium vero vehementer admirans aestimationi propriae et legi suae reddidit'. Itane egit Decius ille quem ipse Cyprianus 'exsecrabile animal, tyrannum infestum' nominat, quem 'sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminatum esse' dicit?[2]) Vix quisquam hoc crediderit,

---

[1]) In hoc capite conficiendo Reitzensteinii consiliis auctoritateque mihi uti licuisse gratissimo animo profiteor.

[2]) ep. 55, 9.

qui mores Decii noverit. Is enim, ut erat patriae amantissimus, antiquum imperii statum se restituturum esse sperabat, si homines ad deorum cultum revocare posset: deos quidem Romam magnam reddidisse, derelictos autem urbi suscensere ipsamque perdere putabat. Itaque rem Christianam acerrime esse impugnandam constituit, quamquam Christianorum mores ac virtutes optimas esse noverat. Edicto igitur sancit, 'ut omnes Christiani relicta superflua superstitione cognoscant verum principem cui omnia subiacent et eius deos adorent.'[1]) Praefectis autem ut mandata conficerent neque Christianis parcerent, durissimas poenas imperator minatus est.[2]) Tunc factum est quod apud Gregorium Nyssenum scriptum legimus: *καὶ γίνεται παρ᾽ αὐτοῦ φοβερὸν . . . τὸ δεῖν ἐξόμνυσθαι τὴν πίστιν ἢ τιμωρίας παντοδαπὰς κολάζεσθαι.*[3]) Decius primus ratione ac via Christianos, praesertim episcopos, persecutus est, cum fundamentum atque constitutionem ecclesiae everti eius interesset.[4]) Ipse enim ecclesiam ab episcopis regi cognoverat; quos si percussisset, etiam oves dispergi existimabat.[5]) Licet multa a posterioribus scriptoribus Christianis in maius elata sint, hoc tamen inter omnes constat nullum Christianum impune dimissum esse, sed omni modo temptatum esse, ut Christiani fidem negarent. Nisi res ita se habuisset, non tot Christiani lapsi aut libelli argento empti essent. Nemo igitur qui quam constans Decius sibi fuerit novit, facile sumere potest Acacium a Decio remota omni crudelitate vinculis solutum esse, si se esse Christianum confessus est. Hoc vero Acacium non fecisse ipsis verbis: 'Decius altercationem tam celebrem responsionibus admirans versus in risum est' significatur. Decius enim cur altercationem admiratus est atque risit? Quod ex ea Acacium esse asseclam rei Christi-

---

[1]) Acta S. Maximi martyris G. 120, 19; cf. ibid. 120, 3.

[2]) Greg. Nyss., Vita Thaumaturgi = Migne P. Gr. 3, 944. cf. B. Aubé, l. c. 196; Gregg. l. c. 79.

[3]) l. c. ibid.

[4]) cf. K. I. Neumann, Der römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian I (1890) 230.

[5]) cf. Acta Caloceri et Parthenii A. S. Maii t. IV, p. 301: 'sperans insanus quod si istos qui erant caput ecclesiarum tolleret, corpus omne ecclesiae interiret' et Cypr. ep. 55, 9.

anae apparuit an quod praefectum Romanum ludificari ausus est? Haec res certe eum gaudio non affecit; sed quod tam bene, salse, facete respondit Acacius, ut ex eius verbis nihil innotesceret, utrum esset Christianus an non, Decius 'altercationem hanc celebrem responsionibus admirans versus in risum est'. Hoc ita esse ex ipso contextu cognoscimus. Si enim Acacii responsa, quae in capite primo legimus, nobiscum semel atque iterum reputaverimus, nonne intelligemus Acacium noluisse confiteri se esse Christianum? Iussus imperatori sacrificare id sese facturum esse negat, quod homini sacra facere non liceret. Illam autem veram et supremam causam quare imperatori sacrificare nollet, non attulit: se re Christiana prohiberi ne illi sacrificaret, quod ceteri Christiani affirmabant, Acacius non dixit. Legimus enim v. gr. in martyrio S. Polycarpi: *Ἐπιμένοντος δὲ . . . καὶ λέγοντος (ἀνθυπάτου)· Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, ἀπεκρίνατο· Εἰ κενοδοξεῖς ἵνα ὀμόσω τὴν Καίσαρος τύχην, ὡς σὺ λέγεις, προσποιεῖ δὲ ἀγνοεῖν με τίς εἰμι, μετὰ παρρησίας ἄκουε, Χριστιανός εἰμι* [1]) et in martyrio S. Carpi: *Συμβουλεύω ὑμῖν προσελθεῖν καὶ θῦσαι. Κάρπος εἶπεν· Ἐγὼ Χριστιανός εἰμι, Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ σέβομαι . . . τοιούτοις δὲ εἰδώλοις οὐ θύω* [2]); item proconsuli interroganti *Θύεις ἢ τί λέγεις; Παπύλος εἶπεν· Ἀπὸ νεότητος θεῷ δουλεύω καὶ οὐδέποτε εἰδώλοις ἔθυσα, ἀλλ' εἰμὶ Χριστιανός, καὶ πλέον τούτου παρ' ἐμοῦ ἀκοῦσαι οὐκ ἔχεις· οὐδὲ γὰρ μεῖζον τούτου ἢ κάλλιόν ἐστίν τι εἰπεῖν με.* [3]) Iustinus eiusque socii responderunt: *ποίει ὃ θέλεις· ἡμεῖς γὰρ Χριστιανοί ἐσμεν καὶ εἰδώλοις οὐ θύομεν.* [4]) Idem responsum dedit Pionius: *Ἐγὼ ἀνθρώπῳ οὐκ ἐπιθύω, Χριστιανὸς γάρ εἰμι.* [5])

Acacius deinde interrogatus quem deum adoraret, non Christum vel ipsius patrem vel eum qui caelum et terram procreasset, sed deum Abraham, Isaac, Jacob se colere dixit.

---

[1]) G. 5, 22 ss.

[2]) G. 13, 11 ss.

[3]) G. 15, 27 s.

[4]) G. 21, 12 s.; cf. ibid. 18, 11 ss.

[5]) G. 103, 1 ss.; cf. ibid. 102, 24 s. Velim perlegas praeterea acta SS. Scilitanorum G. 25, 5 ss.; epistul. eccles. Vienn. et Lugdun. G. 31, 32 ss.; acta S. Apollonii G. 46,15 ss.; acta S. Cypriani G. 124,5 ss.; acta XL martyr. Sebast. G. 174, 31 ss.

Contra v. gr. Polycarpus *Κύριε ὁ θεός*, inquit, *ὁ παντοκράτωρ, ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ πατήρ, δι' οὗ τὴν περὶ σοῦ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν, ὁ θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων καὶ πάσης κτίσεως ... εὐλογῶ σε ...*[1]) *οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα ... οὔτε ἕτερόν τινα σέβεσθαι.*[2]) Martyrium S. Iustini hunc exhibet locum: *Ῥουστικὸς ἔπαρχος εἶπε· Ποῖόν ἐστι δόγμα; Ἰουστῖνος εἶπεν· Ὅπερ εὐσεβοῦμεν εἰς τὸν τῶν Χριστιανῶν θεόν, ὃν ἡγούμεθα ἕνα τοῦτον ἐξ ἀρχῆς ποιητὴν καὶ δημιουργὸν τῆς πάσης κτίσεως, ὁρατῆς καὶ ἀοράτου, καὶ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν παῖδα θεοῦ, ὃς καὶ προκεκήρυκται ὑπὸ τῶν προφητῶν μέλλων παραγίνεσθαι τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας κῆρυξ καὶ διδάσκαλος καλῶν μαθημάτων.*[3]) Similiter in martyrio S. Pionii: *Πολέμων εἶπεν· Τίνα σέβῃ; Ἀσκληπιάδης εἶπεν· Τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν.*[4]) Omnes se esse Christianos, se Christum colere confessi sunt, etsi non expresse neque ad verbum ita locuti sunt ut Carpus: *Ἐγὼ Χριστιανός εἰμι, Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ σέβομαι.*[5]) Acacius quodsi neque hoc neque superiore loco eisdem verbis ac ceteri Christiani usus est, se Christianum esse praefectum celare voluit. Se autem deum Abraham, Isaac, Jacob, altissimum Adonai, sedentem super cherubim et seraphim colere ei impune dicere licuit, cum Iudaeorum religio licita esset.[6]) Etiam hoc contendere nobis licet, Marcianum ex illis quas attulimus lectionibus ne hoc quidem certe concludere potuisse, utrum Acacius Iudaeus esset an non: nam eas per Gnosticos gentibus notas factas esse scimus, ipsosque magos eis usos esse apparet cum ex verbis Origenis: *ὡς οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους χρῆσθαι ἐν ταῖς πρὸς θεὸν εὐχαῖς καὶ ἐν τῷ καταπᾴδειν δαίμονας τῷ ὁ θεὸς Ἀβραὰμ καὶ ὁ θεὸς Ἰσαὰκ καὶ ὁ θεὸς Ἰακώβ, ἀλλὰ γὰρ σχεδὸν καὶ πάντας τοὺς τὰ τῶν ἐπῳδῶν καὶ τῶν μαγειῶν πραγματευομέ-*

---

[1]) G. 7, 17 ss.

[2]) G. 9, 7 ss.

[3]) G. 18, 22 ss.; cf. martyr. S. Pinii G. 102, 25 ss., 112, 16 s.

[4]) G. 103, 31.

[5]) G. 13, 12. — Permulti martyres brevissime responderunt: *Χριστιανός εἰμι*, cf. martyr. S. Iustini et Sociorum G. 19, 26. 29. 30; 20 passim; acta St. Scilitanorum G. 24, 10. 13; 25, 7; epistul. eccles. Vienn. et Lugd. G. 32, 12 s.; acta S. Perpetuae G. 71, 8 ss.; acta S. Pionii G. 108, 6 s. 20 s.

[6]) Tertull., Apolog. 2.

νους. εὑρίσκεται γὰρ ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασι πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις[1]) tum ex ipsis incantamentis et papyris magicis, v. gr. act. Amid. XV 14: 'inter liquandum vero et dum agitas, haec verba insussurrato: deus Abraam, deus Isaac, deus Jacob huic pharmaco vires largiatur'[2]); papyr. Paris. maior. v. 1231: χαιρε φνουθι א· αβρααμ χαιρε πνουτε א ισαακ χαιρε πνουτε א ιακωβ;[3]) v. 1560 μεγας θσ αδωναιε;[4]) v. 1772 χαρχαρ αδωναι;[5]) pap. A XLVI v. 494 αδωναι ελωαι ιαβρααμ;[6]) pap. V IX v. 5 ἐπικαλοῦμαί σε τὸν ἰαω τὸν σαβαωθ τὸν ἀδωναι τὸν ελωειν τὸν . . . αβρααν τὸν Ἰσαακ τὸν Ἰακκωβι τὸν χαθαθιχι τὸν ζεντειν τὸν χερουβει;[7]) pap. Paris. maior. v. 1068 ἱερὸν φῶς τοῦ ὑψίστου θεοῦ;[8]) prec. imprec. Rh. ἐπικαλοῦμαι τὸν θεὸν τὸν ὕψιστον;[9]) pap. A XLVI v. 33 θρόνος τοῦ θεοῦ. Cum autem Iudaei et maxima ex parte etiam Christiani forma plurali seraphim cherubim uterentur, paganos formam numeri singularis usurpavisse Deissmannus conicit. Laudat locum papyri magicae Paris. maioris a Wesselyo in lucem editae: ὃν ὑμνοῦσι τὰ πτερυγώματα τοῦ χερουβίν,[10]) ad quem haec annotat: „Der Singular dürfte wieder ein Beweis sein, daß die jüdische Formel von einem Heiden niedergeschrieben ist".[11]) Hunc dicendi usum velim observes etiam in actis nostris: sedens super Cherubin et seraphin — quid est seraphin? — Sine dubio autem noster optime fecit quod forma singulari usus est, cum apud praefectum paganum verba faceret.

---

[1]) contra Celsum IV 33; cf. I 22; V 45.

[2]) v. Heim, Incantamenta magica in Jahrbüchern für klass. Philol. u. Pädagogik Suppl. XIX (1892) 523; cf. etiam Dieterich, Abraxas (1891) 202 s.

[3]) v. Wessely, Denkschriften der Wiener Akademie phil.-hist. Klasse 36 (1888) 75.

[4]) ibid. 83.

[5]) ibid. 114.

[6]) ibid. 139.

[7]) v. Dieterich in Jahrbüchern für klass. Philol. u. Pädagogik Suppl. XVI (1889) 810.

[8]) v. Wessely l. c. 70.

[9]) v. Deissmann, Licht von Osten¹ 306.

[10]) l. c. v. 3051.

[11]) l. c. 186, 16.

Illos autem terminos quos supra attuli etiam in ore magorum illius regionis, Cappadociae, fuisse usitatissimos ex his Marciani verbis apparet: 'Quae te philosophiae disputatio vana decepit?' Voce enim philosophiae illis temporibus non modo res quae parvi fiebant,[1]) sed etiam scientiae occultae comprehendebantur. Magi cum philosophis confundebantur, praesertim cum philosophia illa quam Neoplatonismum vocant multae superstitiones arte conclusae essent.[2]) Hanc vim voci philosophiae nostro loco subesse indicio est etiam illud quod praefectus postea interrogat: 'Ubi sunt magi, socii artis tuae?' (v. 116) Vides autem Acacium praefecto illusisse quod ei, qui Christianusne esset scire voluit, paganorum responsa dedit.

Tum Acacius in paganorum deos graviter invehitur; eisdem argumentis utitur atque Epicuri et Zenonis Stoici discipuli. Quod mirum non est, cum plurima argumenta scriptorum Christianorum ad Apollodori libros *περὶ θεῶν* redeant.[3]) Hic simpliciter fabulas narravit, illi autem pro tempore et re eis utebantur, ut id quod agebant assequerentur. Acacii igitur verbis factum est ut Marcianus nondum sciret, sed suspicaretur modo Acacium esse Christianum: 'Christianorum consuetudo haec est multa in deos nostros maledicta confingere'. Quae modo dixisti, inquit, Christianorum consuetudo est, cum ipsi diversissima genera probri et infamiae in deos congerant.

Deinde Marcianus Acacium supplicio affectum iri minatur, si diis non sacrificaverit. Acacius vero non ut ceteri ad martyrium currit. Velut Scilitani, postquam Saturninus proconsul gladio eos animadverti iussit, universi dixerunt: Deo gratias[4].) Item ubi Galerius Maximus 'decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet, Cyprianus episcopus

---

[1]) cf. v. gr. verba Terentii in actis Apollonii G. 47, 31: „Wurdest du denn, um zu philosophieren, hierher gerufen?" . . . G. 52, 18: „Du hast viel philosophiert und uns erfreut.

[2]) v. Cumont-Gehrich, Die orientalischen Religionen im römischen Heidentum (1910) p. 78.

[3]) v. Geffcken, Zwei griechische Apologeten (1907) p. 69; Zucker, Spuren von Apollodoros *περὶ θεῶν* bei christlichen Schriftstellern der ersten 5 Jahrhunderte (1904).

[4]) G. 25, 8 ss.

dixit: Deo gratias.[1]) Item Optimus ʻproconsul dixit: Sacrifica ut salveris; quod si nolueris, variis faciam te deficere tormentis. Maximus respondit: Hoc est quod semper optavi. propterea enim me manifestari, ut tandem carens miserabili et temporali vita aeternam reciperem'; [2]) ʻnam . . . occidi servis dei leve est, et ideo mors nihil est'.[3]) Acacium igitur denuo aliter egisse ac ceteros vides, quin etiam iniuste se damnari dixit neque multum praefecti dignitatem reveritus est, cum Marcianum cum latrone Dalmato comparavit. Attamen addidit se non esse relicturum eum qui haec minatus esset: ʻQui me negaverit coram hominibus, et ego negabo illum coram patre meo qui est in caelis, quando venero in gloria et virtute praedicta iudicare vivos et mortuos'. Postquam Acacius hunc locum laudavit, ʻMarcianus ait: Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem vestrae persuasionis et legis'. Conclusit igitur Marcianus Acacium rem Christianam sequi. Christianorum enim mos erat, ut deum iudicium esse facturum de omnibus hominibus et rebus asseverarent. Velut Polycarpus proconsuli respondit: *Πῦρ ἀπειλεῖς τὸ πρὸς ὥραν καιόμενον καὶ μετ' ὀλίγον σβεννύμενον· ἀγνοεῖς γὰρ τὸ τῆς μελλούσης κρίσεως καὶ αἰωνίου κολάσεως τοῖς ἀσεβέσι τηρούμενον πῦρ.*[4]) Apollonius autem: *γινώσκειν*, inquit, *δέ σε θέλω, Περέννιε, ὅτι καὶ ἐπὶ βασιλεῖς καὶ . . . ἐπὶ τοὺς ἔχοντας ἐξουσίαν πολλὴν καὶ ἐπὶ πλουσίους καὶ πτωχοὺς καὶ ἐλευθέρους καὶ δούλους . . . ἕνα θάνατον ὥρισεν ὁ θεὸς ἐπὶ πάντων καὶ δίκην μετὰ θάνατον ἔσεσθαι ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους.*[5]) Similiter Pionius: . . . *μαρτυρόμεθα ὑμῖν περὶ τῆς μελλούσης διὰ πυρὸς γενέσθαι κρίσεως ὑπὸ θεοῦ διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ Χριστοῦ.*[6]) Cum igitur Christiani solerent

---

[1]) G. 127, 9 ss. cf. Acta S. Apollonii G. 59, 13 ss.

[2]) G. 122, 4 ss. cf. Acta SS. Mariani et Iacobi G. 143, 4 ss.; acta S. Pionii G. 112, 32.

[3]) Acta St. Montani et Lucii G. 147, 26 ss., cf. passionem S. Irenaei Sirmiensis G. 162, 22 ss.

[4]) G. 6, 7 ss. cf. Acta Carpi G. 23 s.: *οἱ τούτοις (τοῖς εἰδώλοις) λατρεύοντες α᾽φομοιοῦνται τῇ ματαιότητι τῶν δαιμόνων καὶ σὺν αὐτοῖς ἀπόλλυνται ἐν γεέννῃ. δίκη γὰρ δικαία ἐστίν.*

[5]) G. 52, 12 ss. cf. ibid. 56, 6 s., 58, 9 ss.

[6]) G. 100, 19 s. cf. Acta S. Cononis G. 132, 7 ss.; acta S. Maximi G. 122, 12 ss.; acta SS. martyr. Sebast. G. 175, 8 s.

mentionem iudicii facere, Marcianus ex his verbis: 'Qui me negaverit ... iudicare vivos et mortuos' Acacium esse Christianum conclusit. Ita factum est ut Marcianus diceret: 'Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem vestrae persuasionis'. Eisdem autem verbis Marcianus se antea nescivisse neque Acacium confessum esse utrum Christianus esset an non, concessit. Inserta est igitur locutio v. 10/11: 'ab hominibus Christianis'. Nam si Acacius re vera eam adhibuisset, Marcianus eum in manifesto scelere deprehendisset neque longe lateque eum interrogasset quemnam deum coleret. Equidem illo loco archetypi haec fere: ... 'a quo sic diligitur imperator quemadmodum *a nobis?*' fuisse puto. Marcianus rem Christianam vanam persuasionem,[1]) praesumptionem, esse dixit; neque vero ex Acacii verbis: 'Qui me negaverit ...' ineptam ac stultam persuasionem eiusdem solius, sed etiam reliquorum, quorum 'scutum ac refugium Acacium esse audierat', cognovit, cum hi certe eandem fidem atque ipse profiterentur. Itaque factum est ut non locutionem '*tuae persuasionis et legis*', sed '*vestrae* ...' adhiberet. Iis quae antecedunt verbis: 'et ego negabo illum ...' Acacius de filio dei locutus erat, nomen vero eius non nominaverat. Permultum igitur Marciani intererat interrogare et scire quisnam hic dei filius esset. Acacius suis verbis convinci debuit; quare praefectus eum interrogare perrexit: 'habet ergo, ut dicis, filium deus? respondit Acacius: Habet. Marcianus dixit: Quis est filius dei? respondit Acacius: Verbum veritatis et gratiae. Marcianus dixit: Hoc habet nomen? respondit Acacius: Non de nomine interrogaveras, sed de ipsa filii potestate'. Quae si, praesertim illud sophistarum modo responsum: 'Non de nomine interrogaveras, sed de ipsa filii potestate', attente semel atque iterum perlegimus, facere non possumus quin Acacium scienter et prudenter id egisse dicamus ut Marcianum deciperet neque illi nomen filii dei aperiret. Quod si facere voluisset, non locum ex Scriptura Sacra ('verbum veritatis et gratiae') sumptum

---

[1]) Ad vocem persuasionis cf. Lucian., Peregrin.: *πεπείκασι αὑτοὺς οἱ κακοδαίμονες (Χριστιανοί) . . . ἀθάνατοι εἶναι;* Tert. ad nat. I 29; Lactant. II 1; Aug. confess. VII 20; acta Scilitanorum G. 24. 4; Prudent. hymnus III 331: 'Est ista vobis, novimus, / Persuasionis vanitas'.

attulisset neque postea, cum res postulasset ut nomen indicaretur, respondisset: 'Non de nomine interrogaveras, sed de ipsa filii potestate', sed interrogatus quis esset filius dei, Iesum Christum hunc esse clare et distincte docuisset. Quod vel inde apparet quod, cum Marcianus eum interrogasset: 'Ex qua dei uxore conceptus est?', nomen matris filii dei celavit et animum Marciani ab incarnatione quam dicunt filii avertit; respondit autem haec: 'Non hominis more deus filium ex muliebri coitu genuit, nam absit ut tu maiestati divinae contactum puellae mortalis affirmes, sed Adam primum dextera sua faciente formavit . . . sec⟨undus autem⟩, filius dei, verbum veritatis, ex dei corde processit'. Nomen igitur secundi Adam non attulit, immo vero haec, quae Marcianus intelligere non poterat, addidit: 'ideo scriptum est: Eructavit cor meum verbum bonum'. Neque interrogatus: 'Corporalis igitur deus est?' addidit filium carnem induisse. Acacium autem de industria hunc in modum locutum esse et ea quae Marcianus eum interrogavit praeteriise dico: nam si simpliciter dixisset filium ex matre corpus sumpsisse, tunc filium dei esse hominem praefecto exploratum esset; qui statim quaesivisset nonne hic homo in cruce suffixus esset. Acacius autem rem ita esse dicere debuisset et Marcianus iam certo scivisset filium dei de quo Acacius verba fecit Christum, Acacium vero ipsum esse Christianum. Quod ne Marcianus cognosceret, Acacius ita respondit, ut vidimus; apparet igitur versus 88. 89 'Marcianus ait: Nomen explana. respondit Acacius: Iesus Christus vocatur' esse insertos, cum, si haec genuina essent, insequentia verba, quibus Acacius ad ea quae Marcianus interrogavit respondit, nihil iam sibi vellent. Ceterum apud nulla acta martyrum qui filium dei Iesum Christum vocari dixerant praefectus interrogavit qua ex matre natus esset, cum Christiani hunc *deum et hominem* esse docerent; Marcianus autem nomen matris sciscitabatur, ut ex responsis Acacii filium dei cum deum tum hominem, ergo Christum esse cognosceret. Neque postea Acacius eius nomen attulit, cum deum 'qui nos ab aeterna morte quasi bonus patronus eripuit' (vv. 124. 125) commemoravit. Velim conferas contra locos v. gr. martyr. S. Polycarpi: *τὸν Χριστὸν . . . τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας πα-*

θόντα; [1]) martyr. S. Carpi: *Χριστὸν . . . τὸν ἐλθόντα ἐπὶ σωτηρίᾳ ἡμῶν καὶ ῥυσάμενον ἡμᾶς τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου*; [2]) martyr. S. Iustini: *δι' εὐχῆς ἔχομεν διὰ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τιμωρηθέντες σωθῆναι.* [3])

Se ipse Acacius nominavit Agathangelum, Pisonem, Menandrum, non vero Christianum, sicut fecit Carpus, qui proconsuli respondit *τὸ πρῶτον καὶ ἐξαίρετον ὄνομα Χριστιανός.* [4]) Perpetua autem 'ego, inquit, aliud me dicere non possum nisi quod sum, Christiana'; [5]) item Sanctus *πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ Ῥωμαϊκῇ φωνῇ· Χριστιανός εἰμι· τοῦτο καὶ ἀντὶ ὀνόματος . . . ὡμολόγει.* [6]) Quodsi Acacius illis temporibus cum Tertullianus 'Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen' clamavit, nomen Christiani celavit, hoc ex ea re solum explicare possum, quod se Christianum esse confessus non est. His de causis etiam versus vv. 106. 107 'omnes catholicae legis collige Christianos et cum his religionem nostri imperatoris imitare' insertos esse dico. Ceterum a Marciano nondum usurpatam esse locutionem 'catholicae legis' nemo ignorat. Neque Gallienus qui Christianis iura religionis licitae atque adscitae concessit, [7]) neque Galerius in edicto suo quod tolerantiae vocant, [8]) neque Constantinus in notissimo illo Mediolanensi edicto terminum 'ecclesiae catholicae' exhibet, sed mentionem facit 'corporis Christiani'. [9]) Idem in actis martyrum nobis occurrit: martyres se catholicos nominaverunt, magistratus autem Romani eos Christianos vocaverunt. Velut proconsul per praeconem omnibus notum fecit Polycarpum se esse Christianum confessum esse, et plebs clamavit: *οὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας διδάσκαλος, ὁ πατὴρ*

---

1) G. 9, 7 ss.

2) G. 13, 13 ss.

3) G. 21, 6 s.; ibid. G. 18, 14; acta S. Apollonii G. 55, 14 s.

4) G. 13, 6.

5) G. 65, 2 s.

6) G. 32, 11 ss.

7) v. Franz Görres, Die Toleranzedicte des Kaisers Gallienus in Jbb. f. prot. Theol. III (1877) p. 616—623.

8) cf. Lactant., De mortibus persecutorum cc. 34, 35; Euseb., Hist. Eccl. VIII 17.

9) Lactant. l. c., c. 48; Euseb. l. c., X 5.

τῶν Χριστιανῶν.[1]) Item cum proconsul ex Papylo Tyatireno quaesivisset, nonne pueros haberet isque respondisset *καὶ πολλὰ διὰ τὸν θεόν*, unus ex populo *κατὰ τὴν πίστιν*, inquit *αὐτοῦ τῶν Χριστιανῶν λέγει τέκνα ἔχειν.*[2]) Etiam hoc monere mihi liceat: quamquam Pionius in interrogatione presbyterum catholicae ecclesiae se nominaverat, hanc tamen sententiam capitalem proconsul in eum dedit: *Πιόνιον ἑαυτὸν ὁμολογήσαντα εἶναι Χριστιανὸν ζῶντα καῆναι προσετάξαμεν.*[3]) Pionius autem aequalis nostri Acacii fuit, ergo neque Marcianus verba 'catholicae legis' usurpavit. Totam autem enuntiationem: 'omnes . . . imitare' adulterinam esse, praeter eas quas supra attuli causas etiam hanc afferre possum. Certe antecedentibus verbis quibus Acacius deo esse corpus negavit ('ipse solus agnoscit, nos vero non agnoscimus invisibilem formam') Marcianus mente confusus est neque iam, cum deum Christianorum hominem fuisse sciret, Acacius autem de deo spirituali loqueretur, conclusionem quam antea ex Acacii verbis collegerat, pressit, sed se fortasse in huius rei errorem inductum esse putavit. Facillime autem praefectus dicere potuit: 'Veniat tecum totus populus qui ex tuo pendet arbitrio', cum eum 'scutum et refugium illius regionis' esse accepisset. Neque Acacii verba: 'illi omnes non meo metu, sed dei praecepto reguntur . . .' latius patent neque angustius valent: hoc solum concessit Acacius se esse caput sectae (*αἱρέσεως*) cuiusdam. Quaenam illa esset, in medio reliquit. Itaque Marcianus ex eo nomina asseclarum sciscitari vult, cum iis interrogatis controversiam diiudicari putet. Acacius autem ita respondit ut nihil inde cognosci neque ipse deprehendi posset, praefectus autem ludibrio haberetur. Quod se Agathangelum, Pisonem, Menandrum nominavit, haec nomina usurpavit, ut praefectum summum suum nomen, dico Christianum, celaret et praefectum qui nomina asseclarum comperire cupiebat, irrideret. Quodsi nomen Christianum dissimulavit, neque episcopum neque presbyterum se appellavit. Ex illis autem Acacii cognominibus nihil eluxit utrum ipse Christianus esset an non. Quamquam

---

[1]) G. 6, 21 ss.

[2]) G. 15, 18 ss.

[3]) G. 113, 6 s., cf. ibid. G. 112, 4 ss. et epist. eccl. Vienn. et Lugd. G. 37, 15 s.

enim Acacius optimo iure ita se nominare poterat, tamen his vocibus vis peculiariter Christiana non inest, cum omnes omnium sacrorum antistites, sive Christiani sive Iudaei sive pagani erant, se Agathangelos, Pisones, Menandros appellare potuerint. Velut Acacius Agathangelum se nominavit, etiam nequid Marciano novum aut improvisum diceret, quod asseclas religionis Iovis Sebatii, quam in Phrygum finibus invenimus, se mortuos a bono angelo ad cenam caelestem perductum iri credidisse novimus.[1])

Haec omnia quae in medium protulimus, tanti momenti ac ponderis esse arbitror ut facere non possimus quin usquam in actis Acacium se esse Christianum confessum esse negemus. Re vera si locos quos diximus adulterinos, litura sustulerimus, tunc omnia perspicua erunt omnesque comprehendent, cur neque Marcianus neque Decius lectis gestis in Acacium sententiam dederint. Cum non res ipsa doceret, eum condemnare non poterant. Sed iam quaeret quispiam, quomodo factum sit ut Marcianus Acacium, quamquam eum esse Christianum nescivit, ad se adduci iuberet. Hoc facile explicari potest, si, nequis fidei professionem fugeret, praeceptum esse sumimus ut omnes sive Christiani erant sive non, ad unum sacrificarent: *ὡς (ὀνομαστί) πάντας ἄνδρας ἅμα γυναιξὶ καὶ οἰκέταις καὶ αὐτοῖς ὑπομαζίοις παισὶ θύειν καὶ σπένδειν, αὐτῶν δὲ ἀκριβῶς τῶν θυσιῶν ἀπογεύεσθαι.*[2]) Hoc non modo de edicto Maximini constat, sed hoc ita iam Decii temporibus factum esse ex libellis innumeris[3]) apparet, ut non dicam illud Decianam persecutionem quam vocant exemplar omnium posteriorum fuisse.[4]) Homines quidam sortiti vel electi[5]) ut nomina eorum qui hostias diis

---

[1]) Cumont-Gehrich l. c. 78.

[2]) Euseb., De martyr. Palaest. 9, 2. — cf. Gregg. l. c. 85. Hunc tenorem fuisse edicti A. Harnack optimo iure suspicatus est, v. Theol. Lit.-Ztg. 1894, 41.

[3]) v. Paul M. Meyer, Die Libelli aus der Decianischen Christenverfolgung (SB. d. Berl. Akad. d. Wiss.) 1910.

[4]) v. Gregg. l. c. 72. Leblant, Les persécuteurs et les martyrs, 312: Personne ne pouvait échapper: la population entière était mise à l'épreuve; c'était une sorte de recensement universel où l'administration comptait les âmes.

[5]) *οἱ ἐπί τῶν θυσιῶν ᾑρημένοι* — Cypr. ep. 43, 3.

immolaverant atque eorum qui id se facturos esse negaverant in acta referrent, ante tribunal praefecti vel praesidis vel proconsulis traxerunt, quicumque dicto Caesari audientes non erant. Neque mirum est, si tunc praefecti praecipue eis, qui multum apud populum valebant, ut sacrificarent persuadebant.[1]) Praefecti ipsi id solum temptare debuisse videntur, *εἰ μὴ προσαγάγοιεν πάλιν αὐτοὺς φόβῳ τε καὶ τῇ τῶν αἰκισμῶν ἀνάγκῃ τῇ πατρῴᾳ τῶν δαιμόνων λατρείᾳ·*[2]) Imperatorem edicto suo mortis poenam Christianis statuisse nequaquam constat,[3]) quamquam nonnulli praefecti mandatum imperatoris ita interpretati esse videntur. Aubius conicit in provinciis insectationem cruentiorem atque crudeliorem fuisse, et quod ibi leges Graecoorientales ut aiunt vigerent et quod magistratus prima quaque ratione uterentur.[4]) Raro ad statuendum exemplum capitis aliquis damnatus est;[5]) verisimile est autem multos iniuriis contumeliis vulneribus acceptis periisse[6]) vel a plebe furibunda de medio sublatos esse,[7]) nam ne Philippo quidem clementer imperante magistratus vulgo resistere potuerunt. Romae et in Africa proconsulari Christiani e patria eiecti, in carcerem missi, bona eorum publicata, perpauci capitis damnati sunt.[8]) Consentaneum autem erat praefectos summum supplicium Christianis minari ut eis timorem inicerent atque eos facilius adducerent ut sacrificarent.

---

[1]) Martyr. S. Polyc. G. 6, 20 ss. cf. Aubé l. c. 37.

[2]) Greg. Nyss. vita Thaumaturgi 944; cf. martyr. S. Polyc. G. 2, 16; acta S. Maximi G. 120, 1 ss.; 122, 4 ss. — Bibl. Photii (ed. 1653) 414.

[3]) v. Harnack, Die Überlieferung und der Bestand der altchr. Literatur (1893) 839 s.; idem, Chronologie II 466 ss.; Aubé l. c. 176 ss.; Allard l. c. 394 ss.; Duchesne, Hist. ancienne de l'église[4] (1908) 368; Gregg, l. c. 76 ss.; Linsenmayer, l. c. 137 s.; Bludau, Juden und Judenverfolgung im alten Alexandria (1906) 259.

[4]) l. c. 76.

[5]) cf. acta S. Maximi G. 122, 27. — Aubé l. c. 87, n. 3; 197.

[6]) cf. Cypr. ep. 22. — Aubé passim; Schönaich, Die Christenverfolgung des Kaisers Decius (1908) 30.

[7]) Linsenmayer l. c. 128. Nonnumquam praefecti furori atque saevitiae plebis indulgebant, ne negligentiae accusari posseat. Imperator enim magistratibus mandata sua tardius exsequentibus gravissimas poenas minatus erat. — cf. Linsenmayer 137.

[8]) Cypr. ep. 11; 22; 56.

Qua ultima ratione usus est Marcianus: 'aut sacrifica aut morere'. Quamquam Acacius eius voluntati obsecutus non est, tamen quod minatus est non perfecit; non enim habuit cur crudeliter cum Acacio ageret cum nesciret utrum Christianus esset an non; eum autem in vincula coniecit, quod non sacrificaverat, gesta vero ad imperatorem misit. Neque hic rem dubiam diiudicare potuit, sed admiratus verba salis plena Acacium e custodia dimisit, Marcianum vero, quod tam inepte egerat ut in medio relinqueretur utrum ille Christianus esset an non, loco movit et ad eum minorem provinciam Pamphyliam transtulit.

Haec acta Reitzenstein optime cum oratione quam M. Terentius eques Romanus in senatu habuit, comparavit.[1]) Hic solus se defendere ausus est quod amicus Seiani fuisset.[2]) Si propter hoc capitis damnaretur, iniuste secum agi dixit: 'insidiae, inquit, in rem publicam, consilia adversum imperatorem puniantur . . .' Tacitus autem haec addit: 'Constantia orationis et quia repertus erat qui efferret quae omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exsilio aut morte multarentur'. Item Acacius se extra culpam esse quod deum verum coleret dixit; reos autem esse eos qui flagitia commisissent. Alacri et erecto animo tam subtiliter disputavit ut ipsi Decio purgatus esset, Marcianus autem qui gesta ad Decium miserat ipsi imperatori non iam acceptus loco moveretur.

Nunc vero illud videndum est, quae ratio inter RO et L (= acta Latina) intersit. Utroque libro Graeco fulcitur enuntiatio: 'Marcianus itaque consularis a Decio imperatore provectus Acacium ad se iussit adduci, quem scutum quoddam et refugium illius regionis audierat'. Non verba quidem eadem, sed eandem rem RO exhibent (R vv. 3–15, O vv. 3—8). Attamen inter RO et L discrepantia est et eo quod RO Acacium fuisse episcopum Melitenae et, cum Christum profiteretur, ante Marciani tribunal tractum esse consentiunt, et eo quod in RO Marcianus ante

---

[1]) v. Nachrichten der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften 1904.

[2]) Tacit. Annales VI 8.

interrogationem Acacium esse Christianum exploratum habet (R vv. 16 ss., O v. 7), ipse autem Acacius extemplo se rem Christianam sequi dicit (R vv. 22 ss., O vv. 9 ss.). Acta Latina id solum affirmant deum habere filium et hunc ex dei corde processisse, nulla vero verba fiunt de Christo deo eiusdemque incarnatione (R vv. 27 ss., O vv. 10 ss.). Quod autem R Marcianum ita loquentem facit: *πρὸς ὀργὴν ἐρεθίσαι με βούλει, ὡς ἂν θανάτῳ σε παραδῶ* (vv. 24. 25), hoc oppositum est loco actorum Latinorum, quo Acacius non modo ad mortem ire non festinat, sed Marcianum iura laedere, quod sibi mortem minatus sit, dicit. Neque Acacius in R (vv. 54 ss.) deos gentium iisdem conviciis atque in L consectatur, in O vero (vv. 15. 16) nihil invenimus nisi haec: *στηλιτεύει τὰ μυθώδη τῶν Ἑλλήνων θεῶν.* Quamquam omnibus libris constat Acacium in carcerem trusum et gestis ad Decium missis ab ipso imperatore e custodia dimitti iussum esse, tamen in L poenae, quas in RO Acacius subisse dicitur, non commemorantur. Item desunt in L ea, quibus (in RO) Acacius vinculis solutus, in corpore autem ferens Christi vulnera, postquam multos ad Christum et doctrina et miraculis convertit, in pace quievisse et apud deum preces facere narratur.

R et O non ut L prudentiam, sollertiam, ingenii aciem, sed *ἦθος, λόγον, πράξεις* Acacii laudant, sicut in sanctorum vitis fieri solet.[1]) R quidem magna ex parte certamen Acacii narravit, in O autem dialogus deperiit, et ut ex ipsa inscriptione '*βίος ἐν συντόμῳ* . . .' apparet, disputationis Acacii ea sola ratione mentio fit, ut ipsa summopere Acacii vita efferatur. Quod autem eius *πρόγονοι, γονεῖς, γένεσις, εἶδος, ἰδέα τοῦ προσώπου, σῶμα, δίαιτα, παιδεία*[2]) silentio praetereuntur, hoc nobis argumento est RO nihil huius modi in exemplari quod transscripserunt invenisse, ergo non vitam, sed disputationem Acacii literis mandatam esse et ad recentiores homines pervenisse. Hoc etiam probatur loco summi ponderis quem O (vv. 12 ss.) asservavit: *καὶ περὶ τῶν Χερουβὶμ καὶ περὶ τῶν Σεραφὶμ ἔφη*

---

[1]) cf. Fr. Leo, Die griech.-röm. Biographie nach ihrer historischen Form 1901. Hans Mertel, Die biogr. Form der griech. Heiligenlegenden 1909.

[2]) cf. Mertel l. c. 95 ss.

ἐν αὐτοῖς ἐπικαλεῖσθαι τὸν θεόν. καὶ τὸ μὲν σεραφὶμ ἑρμηνεύει τὸ ὑψηλότατον καὶ κορυφαιότατον ἕδρασμα τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ, τὸ δὲ χερουβὶμ τὸ πλάτος τοῦ πεδίου τῆς τῶν πάντων κατασχέσεως. In actis autem Latinis haec invenimus (v. 26 ss.): 'Altissimus Adonai, sedens super cherubin et seraphin. Marcianus ait: Quid est ⟨cherubin et⟩ seraphin? respondit Acacius: Altissimi dei minister et excelsae sedis antistes'. Hac re textus Graecus a Latino differt quod priore enuntiato cultus angelorum Cherubim et Seraphim, quem vero ad deum ipsum pertinere dicit, introducitur et quod altera enuntiatione non ut in L cherubim primo loco positi sunt. Ut autem in priore enuntiationis Latinae membro 'altissimi d e i minister', ita etiam in priore Graecae enuntiationis parte *ἕδρασμα τοῦ θρόνου τ ο ῦ θ ε ο ῦ* legimus, in altera autem enuntiationis parte 'dei' = *τοῦ θεοῦ* vox omissa est. Vides vero, quam libere O egerit, ut lectionem 'altissimi dei minister et excelsae sedis antistes' suis verbis redderet. Quae videntur esse explicatio loci Isaiae 66, 1: *ὁ οὐρανός μου ὁ θρόνος, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου*; thronum autem in seraphim, scabellum in cherubim positum esse noster addere voluit. Seraphim stare ante thronum dei in caelis — 'possessionem' (= regnum) autem eius in terra (*ὑποπόδιον*?) sustentari per Cherubim et in eis, quod semper voluntati dei obsequuntur, ut in lata planitie (*πλάτος τοῦ πεδίου*) vel in fundamento niti. Unde noster locutionem *τὸ πλάτος τοῦ πεδίου τῆς τῶν πάντων κατασχέσεως* sumpserit, investigare non possum. Neque Philo neque Dionysius qui dicitur, quorum ille de Cherubim, hic de caelesti hierarchia scripsit, cherubim ita interpretantur. Nonne vero voce *ἑρμηνεύει* digito monstrantur illae *ἑρμηνεῖαι λέξεις* quae adhuc in bibliothecis latitant? . . .

Lectioni autem libri O: *τὸ ὑψηλότατον καὶ κορυφαιότατον ἑδράσμα τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ* ipsa illa subest quam exhibent L. 'Excelsae sedis antistes' Graece vertitur *κορυφαίου θρόνου ὑπηρέτης*. Pro *ὑπηρέτης* autem nomen abstractum *ἕδρασμα*, quod ei ex V. T. notum erat,[1]) posuit, et adiectivum cum voce *ἕδρασμα*

---

[1]) III Reg. 8, 13: . . . *οἰκοδομῶν ᾠκοδόμησα οἶκον κατοικητηρίου σοι, ἕδρασμα τῇ καθέδρᾳ* (al. *τῆς καθέδρας*) *σου αἰῶνος*. Quae hoc loco de seraphim

coniunxit; denique *τὸ ὑψηλότατον καὶ* addidit, ut enuntiationem uberiorem redderet. Quod autem constat O non pendere ex L neque L ex O — multo aliter compositus est O, alia quae maximi momenti sunt in L, v. gr. v. 8 Debes amare principes nostros . . .; v. 16 sacrificium illi solve nobiscum; v. 51 te venire mecum ad Iovem Iunonemque praecipio . . .; v. 55 aut sacrifica aut morere; v. 73 s. mihi praeceptum est ne quando deum meum negem; v. 77 Qui me negaverit . . .; v. 103 ss. [Cata]-phrygas aspice [h]om[i]nes religionis antiquae ⟨et⟩ ad mea sacra conversos . . .; v. 112 Omnium trade mihi nomina . . .; vv. 129 s. vocor Agathangelus et Piso . . . (cf. etiam ea quae supra notavi), omisit vel perdidit —, ex his verbis quae O fecit de cherubim et seraphim apparet notionem illorum iam in archetypo Graeco fuisse. Ex hoc hausta sunt etiam verba O 19 s.: *ἐκέλευσεν . . . ἅγιον τῷ ἰδίῳ τόπῳ καὶ κλήρῳ ἀποκατασταθῆναι* et L 137 s.: . . . Acacium . . . aestimationi propriae et legi suae reddidit. Quod autem acta Graeca Acacium se Christianum esse confitentem faciunt, hoc vitiatum esse dico, quoniam actis martyrum, quae memoriae tradita sunt, id agitur, ut omnes qui rem Christianam se sequi confessi sunt, capitis damnentur. Atqui ipsa acta Graeca Acacium libertatem recuperasse narrant, ergo addita confessione nominis Christiani inquinata sunt.

Quibus expositis deinceps explicandum est quomodo factum sit ut acta Latina interpolarentur, Graeca autem omnino adulterarentur. Quod ut melius exponamus, altius repetere opus est.

Acta quae dicuntur martyrum non sunt acta iudiciaria, sed residua literarum fictarum quas iam apud Iudaeos et paganos, praesertim autem apud Christianos viguisse novimus.[1])

---

dicta non esse moneo; ipsa autem originem traxisse a versione Aquilae Field, Origenis Hexaplorum fragmenta I (1875) 611 nos docuit.

[1]) Velim conferas quae de hac re novissimis temporibus senserint v. gr. H. Delehaye, Légendes hagiographiques 1903; A. Harnack, Deutsche Literaturzeitung 1904, c. 2464; Joh. Geffcken, Nachrichten der Göttinger Gesellsch. der Wissensch. 1904 p. 262; R. Reitzenstein ibid. p. 331; A. Bludau, Juden und Judenverfolgung im alten Alexandria 1906 p. 126; U. Wilcken, Zum alex. Antisemitismus 1909; A. Ehrhard, Nachrichten der Straßburger wissenschaftl.

Gesta quibus quasi marginibus narratio continetur, nihil sunt nisi forma quaedam qua permulti ad conficiendum opus rhetoricum utebantur.[1]) Veteres enim scriptores non tam ea quae historiae fide comprobata et in tabulas publicas relata erant, sed ea quae eis placebant atque animos legentium movere videbantur, chartae tradiderunt et publici iuris fecerunt. Actis martyrum quam fortiter martyres in interrogatione se gesserint, quam constanter mortem pro Christo subierint, ostenditur, ut etiam posteri eorum sequantur exempla.[2]) Neque tamen omnes mortem vitae anteponere voluerunt, praesertim cum numerus Christianorum in dies cresceret. Cyprianus ipse fuga salutem petivit, ante praesidem autem tractus se Christianum esse confessus est, primoque in exsilium iactus, tum gladio occissus est. Ad extremum perventum est: aut negare, sacrificare, vivere aut confiteri, non sacrificare, mori. Multi lapsi sunt; nullane via inveniri poterat, quam ingredientes Christiani neque fidem negarent neque sacrificarent, attamen vivere possent? — In summo rerum discrimine Christianis Cappadociae tunc scriptor quidam auxilio venit: actis disputationis S. Acacii exemplum eis proposuit quod imitarentur secuti illud quod Nemesianus de Cypriano scripsit: 'quasi bonus et verus doctor quid nos discipuli . . . apud praesidem dicere deberemus prior apud acta proconsulis pronuntiavisti'.[3]) Acta igitur nostra ut acta martyrum quasi ex proelio in proelium, ut nos lingua vernacula dicimus, conscripta esse contendo: Acacius fidem suam non negavit neque sacrificavit, tam bene et feliciter vero respondit, ut ipse crudelissimus ille Decius eum damnare non posset et eum in libertatem vindicari iuberet. Ut ille ita etiam reliqui Christiani respondere debent. Si tam diserte atque apte quam ille disputabunt, neque negabunt neque confitebuntur se esse Christianos, prae-

Gesellschaft 1909; A. Harnack, Sitzungsberichte der Berliner Akad. d. Wiss. 1910; Joh. Geffcken, Hermes 1910.

[1]) Ita praesertim Geffcken, Reizenstein, Bludau.

[2]) cf. exordium passionis St. Perpetuae et Felicitatis G. 61; martyr. S. Pionii G. 96, 2 ss.; passion. St. Montani et Lucii G. 146, 5 ss., 161, 7 ss.; S. Irenaei Sirm. G. 162, 3 ss.

[3]) Apud Cyprian. ep. 77, 2.

fecti autem et ipse imperator eos esse Christianos compertum non habebunt neque res eorum afflictae erunt, religionem vero paganorum vanam esse docebunt. Res autem et verba in hanc sententiam scriptor composuit atque digessit, ut omnia ad consilium quo libellum scripturus erat optime quadrarent. Propterea ut in actis martyrum vera cum falsis non raro mixta sunt. Quod v. gr. in actis nostris legimus: 'imperator Marciano praefecturam Pamphyliae mox dedit', Decium certe hoc non fecisse asseverare licet, quod Pamphylia provincia erat senatoria. Decius enim unus omnium amicissimus patrum imperator erat neque modo eorum iura atque privilegia diligentissime respexit, sed etiam ipse dilataturus erat, cum censuram, magistratum illum senatorium, restituere in animo haberet.[1])

Constat quidem praefectos omnium interrogationum gesta ad imperatorem misisse;[2]) attamen dubito, num Marcianus hoc fecerit ut imperator quid cum Acacio ageretur decerneret. Certe quidam praefecti pro humanitate sua Caesarem appellaverunt ut reum servarent,[3]) neque omnes praefecti in omnes incolas ius vitae necisque habuerunt.[4]) Quo in numero Marcianum non fuisse contendo, nam ipse tantae provinciae praefectus est, ut etiam summum supplicium de omnibus sumere penes eum fuerit. Accedit quod Decius iam ab autumno anni 250 usque ad diem suum supremum tot tantisque bellis implicitus erat[5]) ut ei tempus ad Acacii causam diiudicandam, etiamsi Marcianus gesta ea mente ad imperatorem misisset, deesset. Itaque verba: 'recipieris in carcerem... legi suae reddidit' ad id reducas Acacium aut 'sopita persecutione'[6]) ab ipso Marciano vinculis solutum esse — in carcerem eum coniecerat quod ita animum eius ut sacrificaret se flexurum esse sperabat — aut sub ipsam disputationem impunitum dimissum esse, ad Marcianum vero non ita multo post ignota quadam de causa provinciam Pamphyliam-

[1]) Gregg l. c. 235 s.

[2]) Wilcken l. c. 48 s.; Mommsen, Juristische Schriften I 450.

[3]) cf. Acta S. Apollonii.

[4]) cf. epist. eccl. Vienn. et Lugdun. G. 37, 18 ss.

[5]) v. Sextus Aurelius Victor c. 29.

[6]) Cypr. ep. 55, 6.

Lyciam a patribus translatam esse. Quae opinio Acacium in vincula datum non esse magis mihi probatur, quod hac sola condicione disputatio Acacii felicissimum exitum habere videtur. Verbis autem 'recipieris in carcerem . . . legi suae reddidit' acumen noster intulit. Ita enim iis qui haec acta legebant, speciem fecit Marcianum, cum nesciret quid ageret, ad Decium, ut ipse causam diiudicaret, gesta misisse et ab ipso imperatore propter stultitiam atque insipientiam loco motum, Acacium autem propter verba salis plena e custodia dimissum esse. Item quodsi verba quae de diis gentium Acacius fecisse dicitur, nobiscum reputaverimus, haec omnia impune dici passum esse praefectum nemo credit: Marcianus ita si se gessisset, non 'Christianae legis inimicus' fuisset, immo vero rei Christianae favisset. Deinde si quaerimus potueritne fieri ut Acacius Marcianum cum latrone compararet, hoc negandum esse arbitror, quod tantam contumeliam praefectum ultum non esse nemo mihi persuadebit neque episcopus Christianus, si iis verbis in iudicio usus esset, laude dignus esset. Argumenta autem capitis alterius et tertii quin ex scriptoribus apologeticis quos vocant sumpta sint, nemini dubium est[1]) cum dii Apollo Neptunus Venus Aesculapius Iuppiter in medium proferantur iique idem faciant et patiantur atque in illorum libris. Accedit quod '*Christianorum*' mores meliores quam paganorum esse dicuntur, deinde quod postulatur ut '*Christiani*' puniantur siquid in leges peccaverint, tum quod dei praecepta pluris aestimanda esse quam hominum probatur, postremo quod deus omnes iudicaturus esse fertur. Suspicio nostra haec esse conficta hac re augetur, quod loci ex Scriptura sacra sumpti afferuntur. Postea ea theologiae et philosophiae pars quae tum in controversiam cadebat explanatur et rem Christianam non esse magiam disseritur. Quod denique Acacius se Agathangelum Pisonem Menandrum nominavit, nemo iam haec omnia ad historiae fidem narrata esse dicet. Attamen rem

---

[1]) Idem ad acta nostra pertinet quod de martyriis dicit Geffcken, Zwei griechische Apologeten (1907) 61 n. 1: 'Die Martyrien sind ja überhaupt oft umgesetzte Apologien'; cf. ibid. 64 n. 1. — Idem, Die acta Apollonii (Nachrichten der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen, phil.-hist. Klasse 1904 p. 262—284).

ipsam quae illustratur, omnino esse fictam atque ementitam dicere non licet, sed haec fere actis nostris subesse censeo: Decio regnante Acacius quidam in ius raptus insectationem fugit, quamquam se esse Christianum non aperte negaverat. Brevi post lepidissimus libellus a scriptore quodam doctissimo confectus est quo Christianis, quomodo agerent ne fidem negarent, ut vero apologetarum modo paganorum religionem infringerent atque praefectum irriderent, ostentatum est. Hunc sub ipsam Decianam insectationem conscriptum esse consentaneum est quia eo exemplum propositum est quod Christiani insequentibus temporibus imitarentur. Ex verbis: '[Cata]phrygas aspice ... ad mea sacra conversos reliquisse quod fuerant' apparet eum a scriptore quodam in lucem editum esse, cum Melitene-Cappadocia et Phrygia sub unius eiusdemque praefecti dicione fuerunt. Nam si res aliter se habuisset, Phrygiae incolae ad sacra praefecti Cappadociae se non convertissent. Hoc Decii temporibus ita fuisse negari nequit, cum inde a medio saeculo tertio non raro duas provincias in unius manibus fuisse constet. Posterioris autem aetatis homines cum id quod acta spectant iam non intelligerent verbisque: 'recipieris in carcerem' adducerentur ut martyrium subesse putarent, Acacium Christum confitentem fecerunt. Quo factum est ut vitia illa quae supra commemoravimus in textum irreperent. Ecclesiam vero Graecam serioribus temporibus, cum Christiani summa pace externa fruebantur, nihil disputationis, in qua summa vis a L posita est, allexit. Eius non tam deorum cultum infringere quam fidem Christianam defendere intererat. Hac de causa totam Acacii disputationem periisse neque scribae codicis R quidquam in elucubrando certamine Acacii ad manus fuisse puto nisi vitam quandam brevissimam et simillimam illi quam in Synaxario maiore (menologio) Basilii I. (S)[1] aut postea in O invenimus. Epitomen enim hanc non a scriba codicis O factam esse apparet et ex vitiis quibus ipsa laborat (v. s.) et praesertim ex eo quod alibi, ubi ampliores vitas ad manus habuit, has

---

[1]) Migne, P. Gr. 117, 371.

cum omnibus fabulis chartae tradidit.[1]) Cod. O est *πανηγυρικὸς ἄτακτος* quo omnia quae tum scriba invenire poterat continentur. Artissimo autem vinculo O (dico semper *τὸν βίον ἐν συντόμῳ*) cum illo S coniunctus est. Quae S habet, etiam O habet; sed pauca plura in O quam in S leguntur: locus ubi Acacius episcopus fuit, maxima pars exordii, dies quo Acacius mortuus est, conclusio. S mentionem facit *τῶν χερουβὶμ καὶ σεραφίμ,* non vero exhibet *ἐν αὐτοῖς ἐπικαλεῖσθαι τὸν θεὸν . . . τῆς τῶν πάντων κατασχέσεως* neque locutionem *τῷ ἰδίῳ τόπῳ καὶ κλήρῳ ἀποκατασταθῆναι,* sed simpliciter *ἀπολυθῆναι.* Ergo O non redit ad S, sed ad alterum textum X, ex quo etiam S excerptus est; qui cum O et S saepissime eadem contineant et iisdem verbis: *καὶ οὕτως ἀπολυθεὶς . . . ἀνεπαύσατο* concludantur — in O fortasse diem obitus, certe preces *οὗ ταῖς πρεσβείαις* . . . addita esse concedo — non multo amplior quam O aut S fuisse atque in eadem verba exiisse videtur. Quodsi accepimus scribam libri R nullum ms. fideliter transscripsisse, sed modo textum resecuisse, modo amplificavisse ut opus oratorium quod non nimis magnum neque nimis parvum esset conficeret,[2]) eum, cum reliqua certamina maiore essent amplitudine, hoc quoque copia verborum exornavisse et locis quos aliunde hausit amplificavisse asseverare non dubitamus. Neque pauca ad verbum ex iis quae ipse antea scripserat repetiit;[3]) illum vero locum ubi de cherubim et seraphim agebatur eiecit quia quid haec verba hoc loco sibi vellent non intellexit. Ita autem factum est ut R ad nomen Acacii fidei Christianae confessionem quandam, quae saeculo quarto vel quinto controversiis Arianis et Nestorianis formata est, applicaret. R enim Acacium hanc doctrinam exponentem facit: *Χριστὸς . . . θεός ἐστι καὶ θεοῦ παντοδυνάμου υἱός* (non *μεσίτης* vel *αἰών*)· *τοῦτο γὰρ υἱὸς ἐπὶ τῆς ἀνάρχου οὐσίας ὃ καὶ πατὴρ πλὴν τῆς γεννησέως* (= *ὁμοούσιος,* sed genitus). *λόγος γὰρ ἐν-*

---

[1]) cf. vitam S. Malchi quae ineptissimis nugis et fabulis scatet.

[2]) v. Albert Ehrhard, Hagiograph. Forschgn. (Röm. Quartalschrift 1897 p. 86 ss., 114 ss.).

[3]) Perlegas velim apud Latyšev l. c. martyria *τῶν ἁγίων Ἰωνᾶ καὶ Βαραχησίου, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀβρααμίου τοῦ Πέρσου, Νέστορος ἐπισκόπου Πέργης τῆς Παμφυλίας, τῶν ἁγίων Παπία, Διοδώρου καὶ Κλαυδιανοῦ.*

υπόστατος ὤν (non *ἀνυπόστατος*, sed persona altera) *πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἰδιώματα κυρίως ἐν ἑαυτῷ καὶ οὐσιωδῶς ἔχει* (non *κατὰ μετοχήν*)· *τοῦτον οὖν ὁ πατὴρ ἐπὶ σωτηρίᾳ . . . τῶν ἀνθρώπων . . . ἀπέστειλε . . . καὶ σάρκα ἐκ τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας φορέσαντα . . . σταυροῦσι φρικτῶς* . . . Ita autem effecit ut et Acacius propugnator fidei orthodoxae evaderet et ecclesia Melitinensis, cum certe Acacii doctrina uteretur, ab erroribus haereticorum aliena fuisse videretur. In fine actorum et R et O aequales imitati sunt quod acta precibus concluduntur. Sed quis fuit ille imperator, pro quo Acacius orare debet (R)? Ex epithetis ornantibus *συμπαθὴς καὶ χρηστὸς καὶ τὰ πάντα καλός* et ex eo quod Acacius ei *μεγίστων τροπαίων νίκας καὶ χάριτας, ἰσχὺν κατ' ἐχθρῶν ἀπρόσμαχον* . . ., *Ἀγαρηνῶν ἀνόμων τὴν κατάλυσιν πάντων* implorare debet, illum virum fuisse manu fortissimum administrandaeque rei publicae peritissimum apparet. Menologium R saeculo undecimo p. Chr. n. conscriptum est. Ab anno autem 976 usque ad annum 1025 ad gubernacula rei publicae sedit vir eximia magnitudine, Basilius II. Non sum allaturus quantas ille res domi militiaeque quantaque felicitate gesserit. Illud brevissime dicam eum Bulgaros devicisse atque sub potestatem suam redegisse. Revera hunc pristinam nominis Romani dignitatem atque auctoritatem restituturum esse magna spes erat. Singulari clementia atque prudentia populos subditos rexit; eius fortitudo et constantia adeo in omnium ore erant, ut etiam longinquae nationes eum auxilio vocarent. Ipsius autem pietas erga Deum et moderatio tanto magis digna erat quam admirarentur, quanto plus periculi esse solet, ne viri in civitate principes praesertim si eximias, ut homines, res gesserunt, insolentius se efferant. Iam in eo erat ut bellum in Asiam transferret, ubi cum Saracenis, qui anno 1021 Armeniam populati erant, manus consereret, cum morbo naturae debitum senex sexaginta sex annorum reddidit. Cui si contigisset ut diutius viveret, non est dubium quin futurum fuerit ut res publica bellis firmata et aucta, etiam in pace optimis stabilita legibus atque institutis in multos annos laetissime effloresceret.[1]) Eo

[1]) cf. Gelzer, Abriss der byzantinischen Geschichte apud Krumbacher, Geschichte der byzantinischen Literatur [2] p. 985 ss.

autem mortuo nullus iam erat imperator quem Graeci maculas splendori sui nominis aspersas exstincturum et ruentem rem publicam retenturum esse sperarent. Qua ex re apparet et preces libri R respicere imperatorem Basilium[1]) et acta nostra vivo Basilio, ad quem totum menologium missum esse verisimile est, conscripta esse. Quodsi quaerimus, cur nomen imperatoris nominatum non sit, dicendum est cum hunc fuisse usum artis rhetoricae scriptorum Byzantinorum tum reverentia maiestatis nomen omitti debuisse.

Reliqua quae legimus in RO, non vero in L, interpolavit scriba quidam quia, quae in plurimis martyrum actis invenit, in Acacii vita deesse voluit. Ut exemplum afferam, quia permulti Decii temporibus varias poenas subierunt, etiam Acacium tormentis affectum esse dicit et quod multos miracula fecisse legebat,[2]) eadem nostrum patrantem facit. Ea autem quae actis Graecis cum Latinis sunt communia, ex archetypo Graeco repetierunt. Acta vero Latina propius ad hunc accedere inde explicamus, quod apud Latinos acta martyrum et vitae sanctorum non in tam frequenti usu habebantur quam apud Graecos. Hac de causa acta sanctorum in ecclesia Graeca multum corrumpebantur atque etiam a quovis codicum scriba temere inculcabantur.[3])

Quod autem iam in martyrologio Hieronymiano saeculo sexto p. Chr. n. orto Acacii mentio facta est, acta S. Acacii non ita multo post saeculum tertium vel quartum in Latinum sermonem versa esse accipi potest. Nescio an interpolatione illa: '[Cata]phrygas aspice' et 'catholicae legis collige Christianos' hoc tempus conici possit. Anno 326 Constantinus imperator edicto sancit ut Cataphrygis haereticis aedes sacrae adimantur; anno 407 Cataphrygis ius iam nullum est eorumque bona sub hasta

---

[1]) cf. A. Ehrhard, Byz. Zeitschrift IX (1910) p. 542: „. . . (es) kann unter jenem . . . Kaiser nur Basileios II. (976—1025) gemeint sein“.

[2]) cf. Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen (1906) passim.

[3]) Huius rei testimonium afferam martyrium S. Nestoris, cuius forma genuina, quamquam Graeco sermone conscriptum erat, melius ex actis Latinis quam ex tribus textibus Graecis usque huc in lucem tractis perspicitur.

veneunt. Rufinus autem, Pseudoambrosius, Optatus Milevitanus, Hieronymus, Augustinus in operibus suis eos ut haereticos saepe impugnant. Tum igitur perfacile fieri poterat ut sectator quidam ecclesiae catholicae odio in Cataphrygas flagrans ipsos etiam ad sacra paganorum conversos faceret et archetypum his locis inquinaret. Quae nostra opinio acta disputationis S. Acacii vergente saeculo quarto Latine versa esse magnopere fulciretur, si illud enucleare possumus utrum verba vv. 97 ss. 'Marcianus ait: Corporalis igitur deus est? Acacius dixit: Ipse solus agnoscit, nos vero non agnoscimus invisibilem formam . . . M. ait: Si in corpore non est, etiam cordis ignarus est ⟨et sensus⟩ . . .' iam in archetypo Graeco fuissent an non. Isdem enim temporibus vehementer impugnatum esse vulgi et sectarum quarundam errorem deo esse corpus homini simile accepimus; ipse Augustinus semel atque iterum hanc Tertulliani multorumque opinionem falsam confutavit. Utut res est, verba nostra bene ad rationem atque inclinationem illius temporis quadrant.

Finita autem hac opusculi nostri parte textum iam recenseamus.

[Acta disputationis S. Acacii.]

I. Quotienscumque servorum dei gloriosa facta memoramus, illi referimus gratias, qui et patientem tuetur in poena et victorem coronat in gloria.

Marcianus itaque consularis a Decio imperatore provectus, Christianae legis inimicus, Acacium ad se iussit adduci, quem scutum quoddam et refugium illius regionis audierat. eo introducto ad se ait: Debes amare principes nostros, homo Romanis legibus vivens. respondit Acacius: Et cui magis cordi est vel a quo sic diligitur imperator quemadmodum a nobis? Assidua enim nobis pro eo ac iugis oratio est, ut prolixum aevum in hac luce conficiat, iusta populos potestate moderetur et pacatum maxime imperii sui tempus accipiat, deinde pro salute militum, pro statu orbis et mundi. Marcianus ait: Haec et ipse collaudo; sed ut obsequium tuum plenius imperator agnoscat, sacrificium illi solve nobiscum. Acacius dixit: Ego deum meum qui est verus et magnus pro salute regis obtestor, sacrificium vero nec ille exigere nec nos debemus solvere. quis enim homini sacra persolvat? Marcianus respondit: Cui deo precem fundis ut ipsi et nos vota solvamus? Acacius

---

1 Incipit Passio Sci Acatii martyris quarta Kl. Aprilis inscr. A. Incipit Passio S. Acatii mtris T. Passio Sti ac beatissimi Agacii martyris Christi, qui passus est sub Martiano sonsulari die IV Kls Apls P. Passio Achacii mr que est IV Kl April B. De sancto Achatio coniec. Mombritius, Acta disputationis S. Acacii Bollandistae. 2 gloriosa om. B. commemoramus BT 3 gratiam B, gloriam H patientiam PB in penam P 4 victoriam P in gloriam P in glo T 5 profectus P 7 quoddam] quendam A illius] anthiochene B regionis] religionis P eo A, et PB, et eo T 7/8 ad se introducto colloc. T 8 romani|is A 9 S. Agacius (ita semper fere) P vel] aut T 10 diligitur] intellegitur A a nobis] ab hominibus (omnibus A) Christianis O vide pg. 28. 10/11 in primis enim assidua pro eo a. i. o. sit B; assidua enim nobis et iugis pro eo oratio est T 11 aevum] eum P 12 conficiat] perficiat T iuxta P 14 salutē P et pro statu B urbis P mundi et orbis coll. B 15 et om. B sed] et B 16 illi tu solve T 17 dnm PB 18 vere P ille] vos T 19 solvere] offerre P sacra] vota B persolvit P respondit] ait P, dixit: Responde B 20 deorum B fundes P ut et nos ipsi coll. T

dixit: Opto te scire quod prosit et deum qui est verus agnoscere. Marcianus ait: Nomen eius mihi enuntia. Acacius dixit: Deus Abraham et deus Isaac et deus Jacob. Marcianus ait: Deorum sunt ista nomina? Acacius dixit: Non ista; sed qui locutus est istis, ille est deus verus, illum timere debemus. Marcianus ait: Quis est iste? respondit Acacius: Altissimus Adonai, sedens super cherubin et seraphin. Marcianus ait: Quid est ⟨cherubin et⟩ seraphin? respondit Acacius: Altissimi dei minister et excelsae sedis antistes.

II. Marcianus ait: Quae te philosophiae disputatio vana decepit? sperne invisibilia potius et deos quos aspicis recognosce. respondit Acacius: Qui sunt illi, quibus sacrificare me praecipis? Marcianus ait: *Apollini servatori nostro, famis et pestilentiae depulsori, per quem omnis mundus servatur et regitur. respondit Acacius: Illi futuri, ut putatis, interpreti? qui infelix cum puellulae amore flagraret, currebat attonitus ignarus perditurum se optatissimam praedam. apertum est itaque quod nec divinus fuit, qui ista nescivit nec deus, quem puella decepit. nec hoc solum doloris excepit: crudeliori illum damno mox fortuna multavit. nam ut erat turpis in pueros, forma Hyacinthi cuiusdam captus, ut bene nostis, incaluit et miser atque ignarus futuri disco quem optabat vivere occidit. ipse qui cum Neptuno

---

21 qui est verus] qui est in celis P, verum B 23 et bis om. B 24 ista om. B dixit] respondit P 25 verus deus coll. T illum adorare debemus et timere P 27 Adoneus P cherubim et seraphim A 28 ⟨cherubin et⟩ addidi v. pg. 12 29 excelsi dei sedis P antestis AP 30 philosophia et disputatio P 31 decoepit A, decipit T invisibilia potius deos T 32 illi] dii PB me sacrificare coll. T 33 Centresio Apollini A, Contrescio Ap. Mombritius, Centroni Salvatori et Ap. N, cett. vero Apollini (Apolloni P) nostro] $\overline{\text{dno}}$ P pestilentie et famis coll. B 34 per quem] per quos N et servatur P 35 illius A futuri] ūri A, vestro PBT interpreti A, interpretis P, interpreti et divinatori sacrificabo B 36 puellae BT 37 itaque om. T quod] quia B nec del. T divinis P 38 non fuit T decepit. hoc P 39 accepit, sed crudeliori T dampno A 39/40 solum doloris pertulit· quod per se damnum crudele sustinuit· nam ut . . . P 40 m$\overset{u}{\text{o}}$lcavit A Iacincti PBT /achinti A 42 quem optabat vivere] q. o. videre (q. videre o. coll. A) ABT, quem amabat P v. pg. 13 ipsi qui PB

aliquando servivit, ipse qui pecora aliena servavit, huic sacrificare me praecipis? an Aesculapio fulminato, an adulterae Veneri et portentis ceteris vel huius vitae vel huius exitii? adorabo ergo eos, quos non dignor imitari, quos contemno, quos accuso, quos horreo? Quorum facta nunc si quis admittat, severitatis vestrae non poterit leges effugere, et modo in aliis colitis, quod in aliis vindicatis? Marcianus ait: Christianorum consuetudo haec est multa in deos nostros maledicta confingere. propterea te venire mecum ad Iovem Iunonemque praecipio, ut simul celebrantes dulce convivium numinibus, quae sunt digna, reddamus. respondit Acacius: Quomodo hic sacrifico illi, cuius sepulcrum esse constat in Creta? numquid resurrexit a mortuis?

III. Marcianus ait: Aut sacrifica aut morere. Respondit Acacius: Hoc et Dalmatae faciunt latrocinandi arte callentes. ubi angustias viarum et secreta itineris loca obsederint ad nocendum, venantur singulos transeuntes et ut quisque illuc viator pedem tulerit, hac pactione constringitur, ut aut pecuniam relinquat aut vitam; nemo itaque ibi quid sit rationis interrogat, sed quid possit ille qui cogit. Similis est tua sententia, qui aut iniusta impleri praecipis aut minaris exitium. nihil formido, nihil timeo. ius publicum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus virilis, maleficum et homicidam. horum si reus sum, ante vocem tuam me ipse condemno: sin vero quod

43 ipsi qui PB aliena pecora coll. B huic] ipsi, inquam B 44 /colapio A, excolepio P, esclepio T 44/45 adulterae Nemesi ATN, adulterenemis P 45 vel ceteris portentis T 45/46 . . . exitii adorabo· Ergo eos . . . A, . . . exitii sacrificium impendam? Ergone eos adorabo quos dedignor imitari . . . B, . . . exitii immolabo? Ergo eos colam quos . . . T 47 Quorum facta] et facta illorum P, eorum facta T nunc om. P. amittat A 48 severitatem vestrae . . . legis PB 49 quod] quae P 50 haec om. PB, haec est consuetudo coll. T configere A 51 mecum del. T 52 convivium dulce coll. T 53 hic (huic A) sacrifico illi cuius APB, huic sacrifico cuius T 54 constat esse coll. B 56 latrocinando sceleribus eruditi P 57 qui ubi T 57/58 obsederint· ad nocendum AT 58 ut] si B quisquam B 58/59 illuc pedem viator coll. P, viator illuc pedem B 59 hac] ista T paccione T, passione B pecu|||m (nia) A, pecus iam T 61 tua om. B qui] quia B 62 exitium] supplicium T 63 adulterem A 64 maleficum om. T 65 tuam iam A ipsum P, ipsum (+se) B. ipse me coll. T contempno A si vero PB quod] quia B, pro hoc quod T

deum qui est verus colo, ducor ad poenam, non legis, sed iudicis voluntate condemnor. [propheta clamat interminans: Non est qui exquirat deum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. ideo purgare te non potes. scriptum est enim: Omnis in quo iudicat, sic et iudicabitur. et iterum: Ut iudicas, sic iudicaberis, et ut facis, sic et erit tibi]. Marcianus ait: Ego non sum iussus iudicare, sed cogere. unde si contempseris, certus esto de poena. respondit Acacius: Et mihi praeceptum est, ne quando deum meum negem. si tu servis homini fragili atque carnali cito ab hoc mundo recessuro, quem mox vermibus scis edendum, quanto magis ego potentissimo deo oboedire debeo, cuius virtute firmata sunt omnia, quae constant in saecula, et cuius illud est dictum: Qui me negaverit coram hominibus, et ego negabo illum coram patre meo qui est in caelis, quando venero in gloria et virtute praedicta iudicare vivos et mortuos.

IV. Marcianus ait: Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem vestrae persuasionis et legis. habet ergo, ut dicis, filium deus? respondit Acacius: Habet. Marcianus dixit: Quis est filius dei? respondit Acacius: Verbum veritatis et gratiae. Marcianus dixit: Hoc habet nomen? respondit Acacius: Non de nomine interrogaveras, sed de ipsa filii potestate. [Marcianus ait: Nomen explana. respondit Acacius: Iesus Christus vocatur.] Marcianus ait: Ex qua dei uxore conceptus est? respondit Acacius: Non hominis more deus filium ex muliebri

---

66 verus est coll. B   color P   vv. 67—71 deleo, cf. p. 14   ad vv. 67—69 cf. ψ 13, 1 ss.; 52, 2 ss.   68 requirat T   70 sic et om. B; cf. Mth. 7, 1   ut iudicas] iudicans P   71 sic om. PB; cf. Rom. 2,1   72 non iussus sum coll. B   idicare T   73 mi P   74 dnm PB   76/77 debeo obedire coll. B   77/78 cuius virtus constat in saecula PB   78 saeculo T   est dictum] edictum P   dictum est coll. B   denegaberit B   79 et ego om. P   denegabo BT   illum] eum BT   80 venero] negavero P   glora A   praedicta om. T   iudicare] judicaturus (-os P) PB   81 et] ac A.   ad vv. 78—81 cf. Mth. 10, 33; 24, 30; I Petr. 4, 5   83 es om. P   errorem scil. vestrae B   84 Acacius respondit coll. AT   ad v. 85/86 cf. Io. 1, 14. 17.   vv. 88—89 deleo, v. s. p. 29   88 S. Agacius respondit P   89 dei] dic B   dic ex qua uxore coll. B, ex qua huxore dei P   90 hominum AT

coitu genuit (nam absit ut tu maiestati divinae contactum puellae mortalis *affirmes), sed Adam primum dextera sua faciente formavit — luto primi illius hominis membra composuit et ubi integram iam compleverat effigiem, animam spiritumque concessit — sec⟨undus autem⟩, filius dei, verbum veritatis, ex dei corde processit. ideo scriptum est: Eructavit cor meum verbum bonum. Marcianus ait: Corporalis igitur deus est? Acacius dixit: Ipse solus agnoscit, nos vero non agnoscimus invisibilem formam, sed virtutem potentiamque veneramur. Marcianus ait: Si in corpore non est, etiam cordis ignarus est ⟨et sensus⟩. nam sensus non potest esse sine membris. respondit Acacius: Non in his membris sapientia nascitur, sed a deo datur. quid ergo pertinet corpus ad sensum? Marcianus ait: [Cata]phrygas aspice [h]om[i]nes religionis antiquae ⟨et⟩ ad mea sacra conversos reliquisse quod fuerant et nobiscum diis vota persolvere: et tu similiter parere festina. [omnes catholicae legis collige Christianos et cum his religionem nostri imperatoris imitare.] veniat tecum totus populus qui ex tuo pendet arbitrio. respondit Acacius: Illi omnes non meo nutu, sed dei praecepto reguntur. audiunt me itaque, si iusta persuadeam; sin vero perversa et nocitura, contemnunt.

V. Marcianus ait: Omnium trade mihi nomina. respondit Acacius: nomina eorum caelesti libro indita et divinis sunt

---

vv. 91—93 genuit, sed Adam primum . . . formavit, nam absit ut tu . . . affirmes. luto primi illius . . . coll. omnes 91 magestati P 92 mortalis affirmes AT, mortalis convenisse affirmes B, mortalis adscribas P faciente om. P 93 formavit] plasmavit B hominis om. B 94 et spiritum B 95 secundus autem ego; codd. sic et. cf. I Cor. 15, 45 dei om. P 96 cf. ψ 44, 2 97 corporaliter P 99 venerēmur A 100 ⟨et sensus⟩ addidi v. pg. 15. 102 his om. B nascitur] cognoscitur P 103 Catafrigas APT, Cataphrigas B 104 religionis antiquae] regionis Liantique N ⟨et⟩ inserui v. pg. 16 104/105 ad me deū sacrū conversos P conversos. Reliquisse (Reliquere T) AT 105 fuerant] fecerant T vv. 106—107 deleo cf. supra pg. 30 106 catholicae religionis et legis T 107 imitare] adtende P 108 ex om. T pendit A 110 audient T itaque me coll. T si vero PBT 111 nocitura] noc ||| rna A, om. T contempnent T 112 mihi trade coll. P 112/113 Acacius respondit coll. B

paginis annotata. quomodo ergo oculi mortales aspiciunt quod immortalis virtus dei et invisibilis annotavit? Marcianus ait: Ubi sunt magi, socii artis tuae vel doctores huius artificiosae fallaciae? respondit Acacius: Nos a deo et meruimus omnia et meremur, sectam vero magicae artis horremus. Marcianus ait: Ideo magi estis, quia novum nescio quod genus religionis inducitis. respondit Acacius: Illos despuimus, quos vos prius facitis sic timetis. deficient enim vobis dii, si aut artifex saxo aut saxum non abundaverit artifici. timemus enim illum, non quem fabricamus, sed a quo fabricati sumus: qui nos creavit ut dominus, amavit ut pater et ab aeterna morte quasi bonus patronus eripuit. Marcianus ait: Da nomina, ne poenae ipse succumbas. respondit Acacius: Ante tribunal ipse assisto et nomen inquiris? [an speras quod multos valeas vincere quem ego solus exstinguo?] si proprium nomen meum exploras, Acacius dicor; at si cordi tibi nomina sunt, vocor Agathangelus et Piso [Traianorum episcopus] et Menander [presbyter]. fac iam quod placet. Marcianus ait: Recipieris in carcerem ut imperator gesta cognoscat et ex eius nutu, quid de te agi debeat, decernatur. lectis itaque omnibus gestis Decius imperator

---

114 aspicient P, asspiciant T 115 immortalis et invisibilis dei virtus coll B. 116 magii P 117/118 omnia et meruimus et meremur coll. P 118 secte A maicae T 119 nescio quod ad genus P, nescio quid relionis T 120 despuimus ego; codd. destruimus vos om. T primum B 121 sic timetis] et sic t. T, et a vobis factos ipsi t. AB deficerent B 122 abundaret B artifice T timeamus P enim] om. P, vero nos corr. B 124 et om. P aeternae morti quasiut P 125 patronus] pastor T ne] nec P, ut .. non T 126 ipse om. P. vv. 127—128 deleo, v. s. p. 17 127 valeas] possis T 128 ipse solus B stingo P, vinco T vv. 128—130 in libris ita collocati sunt: si cordi tibi nomina sunt, Acacius dicor, et si proprium nomen meum exploras, vocor Agathangelus et . . . P vero nihil nisi: 'si proprius ergo nmn mm exploras, Agacius dicor' exhibet 128 meum nomen AT 129 at ego; codd. et nominati A agathusangelus AT, agathangelos B, agathangelus Us, agazangelus N, agangelus Uc 130 Piso (Phiso AT) Traianorum episcopus ABT, Piso Traianus Uc, Pistotraianus Us menanter presbiter A. Equidem nihil teneo nisi 'Piso et Menander', cf. s. p. 18; 31 s. 130/131 fac iam] fac itaque A, facite ergo P, faciantque N 132 de te] de hac re B 133 decernitur P imperator om. P

altercationem tam celebrem responsionibus admirans versus in risum est et Marciano mox praefecturam Pamphyliae dedit, Acacium vero vehementer admirans aestimationi propriae et legi suae reddidit. Acta sunt haec Marciano consulare sub imperatore Decio quarto Kalendas Aprilis.

---

134 celebre A, celebris T, crebre PB responsionis libri ammirans BT 135 Marciano quidem B mox om. P 136 exctimactioni P 137 legis P dedit T acta confecta sunt A haec om. A Marciano consulare om. T, a Marciano consulari corr. B 138 Decio ipatore coll. T vv. 137—138 desunt in P, exhibet vero haec: Qui bono consummato cursu perrexit ad dnm Iesum XPM qui ante cuncta scla regnat cu patre et spu sco ꝑ infinita scla scloꝝ. an.

R hunc exhibet textum:

Ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀκακίου ἐπισκόπου Μελιτηνῆς τοῦ ὁμολογητοῦ.

Δέκιος ἡνίκα τὰ τῆς Ῥωμαίων βασιλείας διεῖπε σκῆπτρα καὶ τὸν κατὰ Χριστιανῶν ἐκίνει διωγμὸν καὶ ὅλως ἦν μετὰ θορύβου καὶ κακίας τὰ πράγματα, τότε δὴ φῶς ὡς ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ καὶ ἀφεγγεῖ διέλαμπεν ὁ μέγας Ἀκάκιος τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν διδάσκων καὶ πάντας τοὺς ὅσοι πρὸς τὸ καθαρὸν ἀπέβλεπον φέγγος ὁδηγῶν πρὸς ἀλήθειαν. ἀλλ᾿ οὐκ ἦν πάντως ἠρεμεῖν τὸν τοῦ δαίμονος φθόνον οὐδ᾿ οὕτω βλέπειν ἐν σκοτομήνῃ τοσαύτῃ παρ᾿ αὐτοῦ κατὰ γῆν σύμπασαν διασκεδασθείσῃ τὸν φωταυγῆ μόνον Ἀκάκιον διαλάμποντα καὶ τὰς πολλὰς τῶν ἐπιβουλῶν αὐτοῦ συρραφὰς διαλύοντα καὶ φροῦδον ἐν οὐκ ὀλίγοις τὸ αὐτοῦ κακομήχανον ἀπελέγχοντα βούλημα. διὸ καὶ διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτῷ συλληφθῆναι τοῦτον ποιεῖ καὶ τῷ τοῦ Μαρκιανοῦ (δεινὸς δὲ οὗτος ἀνὴρ καὶ ὕπατος τὸ τηνικαῦτα Μελιτηνῆς) προσαχθῆναι βήματι. καὶ ἐπεὶ προσήχθη· λέγε μοι, φησὶν ἐκεῖνος πρὸς αὐτόν, τίνα τὰ παρὰ σοῦ κηρυττόμενα, καὶ πῶς θεὸν τολμᾷς λέγειν Χριστόν, ὃν Ἰουδαῖοι καλῶς ποιοῦντες σταυρῷ προσήλωσαν, θεοῦ υἱὸν καὶ θεὸν ἑαυτὸν εἶναι λέγοντα, τοὺς δέ γε μεγίστους θεοὺς ἀθετῶν εἴδωλα λέγεις εἶναι κωφὰ καὶ ὅλως ἀναίσθητα; καὶ ὁ ἅγιος· εἴπερ ἀνεξικάκως ἀκούεις, εἶπεν, ἡγεμών, ἐγώ σοι τὰ περὶ ὧν ἠρώτησας, παραστήσω κατὰ λεπτόν. καὶ τότε γνώσῃ, τίνα τὰ παρ᾿ ἐμοῦ κηρυττόμενα καὶ ὡς καλῶς τὸν Χριστὸν θεὸν ὁμο-

λογῶ καὶ τοὺς ὑμῶν θεοὺς εἴδωλα καλῶ κωφὰ καὶ ἀναίσθητα. καὶ ὁ ἄρχων· οἶδα, φησίν, ὅτι πρὸς ὀργὴν ἐρεθίσαι με βούλει ὡς ἂν παραδῶ σε θανάτῳ. λέγε οὖν ὅμως ἃ βούλει· νόμος γὰρ ουτος δικαστηρίου. καὶ ὁ ἅγιος· Χριστός, εἶπεν, ὦ ἄρχων, ὃν Ἰουδαῖοι κακῶς ποιοῦντες ἐσταύρωσαν, θεός ἐστι καὶ θεοῦ παντοδυνάμου υἱός. τοῦτο γὰρ υἱὸς ἐπὶ τῆς ἀνάρχου οὐσίας, ὃ καὶ πατὴρ πλὴν τῆς γεννήσεως. λόγος γὰρ ἐνυπόστατος ὢν πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἰδιώματα κυρίως ἐν ἑαυτῷ καὶ οὐσιωδῶς ἔχει. τοῦτον οὖν ὁ πατὴρ ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους πρὸς πλάνας τοῦ δαίμονος ἐξοκείλαντος ἑκόντα διὰ μεγίστην οἰκονομίαν ἀπέστειλεν, „γεννώμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν“, ὅπερ ἐστὶν ἀγαθοῦ θεοῦ καὶ τὸ οἰκεῖον οἰκτείροντος πλάσμα. ὀφθέντα τοίνυν αὐτὸν ἐπὶ γῆς δι᾽ ὃν εἴρηται τρόπον, καὶ σάρκα λόγοις οἷς αὐτὸς οἶδεν ἐκ τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας φορέσαντα, μυρία τε θαύματα διαπραξάμενον ὡς εἴη παραδηλοῦντα θεόν, οἱ Ἰουδαῖοι κακῶς ποιοῦντες (τί γὰρ καὶ παρὰ τὸ προσῆκον εἰργάσατο;) φθόνῳ κρατούμενοι, φθόνῳ ταῖς τοῦ δαίμονος εἰσηγήσεσιν ὑπαγόμενοι σταυροῦσι φρικτῶς, πάλαι τῶν προφητῶν περὶ τούτου προθεσπισάντων τὰ μέλλοντα. ὁ δὲ καὶ θανάτου γεύεται καὶ τριήμερος ἐξανίσταται καὶ πρὸς τὸν πατέρα βασιλικῶς ἄνεισι καὶ τὸ πνεῦμα τοῖς ἀποστόλοις πέμπει τὸ ἀγαθόν· οἵτινες ἐν τῷ κόσμῳ διασπαρέντες θεὸν αὐτὸν ἐκήρυξαν ἀληθῆ καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων. καὶ πίστις τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν λεγομένοις τὰ παρακολουθήσαντα θαύματα, νεκρῶν ἀνάστασις, τυφλῶν ἀνάβλεψις, χωλῶν ἀνόρθωσις, δαιμόνων δίωξις καὶ τἆλλα οἷς ἄνθρωπος πρὸς πίστιν τῆς ἀληθείας ὑπάγεται. ταῦτα οὖν, ἡγεμών, ὁρῶν τις ὑπ᾽ ἀνθρώπων τελούμενα τῷ τοῦ Χριστοῦ ὀνόματι, πῶς οὐ θεὸν αὐτὸν ἀληθῆ διαδήλως κηρύξει; δραπετεύει γὰρ δαιμόνων πληθὺς καὶ μόνῃ τούτου τῇ ἐπικλήσει καὶ τὰ ἄλλα πάντα νοσήματα, ὥσπερ εἴρηται, φυγαδεύεται· τοὺς οὖν ὑφ᾽ ὑμῶν νομιζομένους θεούς φεύγοντας ὡς καταδίκους ἀπὸ τοῦ καὶ μόνον αὐτὸν τὸν Χριστὸν ὀνομάζεσθαι καὶ τὸ σταυρικὸν αὐτοῦ σημεῖον χαράττεσθαι, πῶς θεούς τις νοῦν ἔχων ἄνθρωπος εἴποι, λίθους ὄντας καὶ ξύλα καὶ χειρὸς ἀνθρωπίνης τεχνάσματα, περὶ ὧν φησιν ἀληθῶς ἡ ἡμετέρα γραφή· ʽὅτι τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν

ad vv. 32—34 cf. Gal. 4, 4 ad vv. 35/36 Baruch 37

ἀνθρώπων, ὦτα ἔχουσι καὶ οὐκ ἀκούσονται, ὀφθαλμοὺς ἔχουσι καὶ οὐκ ὄψονται, χεῖρας ἔχουσι καὶ οὐ ψηλαφήσουσι, πόδας καὶ οὐ περιπατήσουσιν· ὅμοιοι αὐτοῖς γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς'. εἶτα καὶ μύθους ἀπελέγχοντος τοῦ ἀοιδίμου τῷ λόγῳ τὰ τῶν Ἑλλήνων σεβάσματα καὶ ἤδη πρὸς γόνυ κλίναντος τὰ μυθώδη τούτων ληρήματα, ὁ ἄρχων ἐκκόψας τὸν λόγον βασάνους, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὅσας, ἐπήνεγκε τούτῳ, μάστιγας, ξεσμούς, πῦρ, ξίφος καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. εἶτα καὶ φρουρᾷ κατακλείσας ζοφώδει τινὶ καὶ πνιγηρᾷ, τῷ Δεκίῳ τὰ περὶ τούτου γνωρίζει στείλας αὐτῷ καὶ τὰ κατὰ τὴν ἐξέτασιν ὑπομνήματα. τοῦ δὲ διὰ γραμμάτων τῷ ἄρχοντι τὴν ἀπόλυσιν τοῦ ἁγίου γνωρίσαντος, ἀφίησι τὸν ἅγιον ἐκεῖνος τῆς φυλακῆς· καὶ οὕτως ἀπολυθεὶς ὁ μεγαλόφρων οὗτος ἐπίσκοπος περιήει πανταχοῦ, τὰ διὰ Χριστὸν στίγματα περιφέρων ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ τὸν λόγον τε κηρύττων τῆς ἀληθείας καὶ πρὸς τὴν εἰς αὐτὸν πίστιν πολλοὺς ἐπανάγων, πλείστων θαυμάτων αὐτουργὸς γεγονώς· οὕτως οὖν καλῶς διαπρέψας καὶ καλῶς ὁμολογήσας Χριστὸν ἐνώπιον ἀνοσίων ἀρχόντων, πανάριστε, τὸν βίον ἐν γήρᾳ καταλύεις βαθεῖ· καὶ νῦν τῷ ἀγωνοθέτῃ σου θεῷ παριστάμενος αἴτησαι βασιλεῖ ἡμῶν τῷ συμπαθεῖ καὶ χρηστῷ καὶ τὰ πάντα καλῷ μεγίστων τροπαίων νίκας καὶ χάριτας, ἰσχὺν κατ' ἐχθρῶν ἀπρόσμαχον καὶ κράτος, χωρῶν ἐθνικῶν τὴν ἀνάληψιν ὅλων, Ἀγαρηνῶν ἀνόμων τὴν κατάλυσιν πάντων, ἥσυχον αὐτῷ τὴν ζωὴν καὶ μηκίστην, λαμπράν, εὐσταθῆ, γαλήνης πεπλησμένην, πάντων ἀγαθῶν τὴν τέρψιν καὶ τὴν δόσιν καὶ βασιλείας οὐρανῶν μετουσίαν·

Ὅτι τῷ Χριστῷ καὶ θεῷ ἡμῶν πρέπει αἶνος καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας ὅλους τῶν αἰώνων· ἀμήν·

In O autem haec legimus:

Βίος ἐν συντόμῳ τοῦ ἁγίου καὶ ⟨ἐνδόξου⟩ ὁμολογητοῦ Ἀκακίου ἐπισκόπου Μελιτηνῆς. εὐλόγησον, πάτερ.

Οὗτος τοίνυν ὁ ἅγιος καὶ μέγας ἐν ἱερεῦσιν Ἀκάκιος ἦν ἐπὶ Δεκίου τοῦ βασιλέως, ἀνὴρ ὑπάρχων πρᾳότατος καὶ συνετὸς καὶ διδακτικὸς τῷ λόγῳ, πάσῃ ἀρετῇ καὶ συνέσει κεκοσμημένος, ὅστις καὶ τῆς τῶν Μελιτηνῶν ἐκκλησίας τὸν θρόνον πάνυ καλῶς ἐκόσμησεν.

---

ad vv. 57—61 cf. ψ 113, 4—8 ad vv. 70/71 cf. Gal. 6, 17.

1 *εν συντημου* *ἐνδόξου* addidi v. s. p. 21 2 *μελητίνης* 5 *διδακτηκός* 5 *πασα αρετῆ . . . καικοσμιμένος* 6 *Μελιτινῶν* *τῶν θρόνων* *εκόσμισεν*

οὗτος οὖν ὁ ὅσιος κηρύττων παρρησίᾳ τὸν Χριστὸν συσχεθεὶς παρὰ τῶν αἱμοβόρων λύκων προσήχθη Μαρκιανῷ τῷ ὑπάτῳ. καὶ παραστὰς καὶ ἀνακριθεὶς περὶ ὧν κηρύττει, ὡμολόγησεν παρρησίᾳ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἤλεγξε δὲ καὶ περὶ τῆς θεότητος καὶ περὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Κυρίου. ὅθεν ἐρωτηθεὶς καὶ περὶ τῶν Χερουβὶμ καὶ τῶν Σεραφὶμ ἔφη ἐν αὐτοῖς ἐπικαλεῖσθαι τὸν θεόν. καὶ τὸ μὲν σεραφὶμ ἑρμηνεύει τὸ ὑψηλότατον ἕδρασμα τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ, τὸ δὲ χερουβὶμ τὸ πλάτος τοῦ πεδίου τῆς τῶν πάντων κατασχέσεως. ἐντεῦθεν ὁ ὅσιος Ἀκάκιος στηλιτεύει τὰ μυθώδη τῶν Ἑλλήνων θεῶν. καὶ βασάνους δέχεται καὶ φρουρᾷ κατακλείεται. ὅθεν τὰ ὑπομνήματα ταῦτα Μαρκιανὸς ὁ ὕπατος ἀνήγαγε Δεκίῳ τῷ βασιλεῖ· ὅστις ἐκέλευσεν ἀνύβριστον καὶ ἅγιον τῷ ἰδίῳ τόπῳ καὶ κλήρῳ ἀποκατασταθῆναι. καὶ οὕτως ἀπολυθεὶς τὰ στίγματα τοῦ Χριστοῦ ἔτι περιφέρων ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ καὶ πολλοὺς φωταγωγήσας καὶ ἀγαγὼν εἰς τὴν ποίμνην τοῦ Χριστοῦ ἐν θαύμασι καὶ διδάγμασι καλῶς διαπρέψας ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο μηνὶ Ἀπριλίῳ ιϛ΄.

Οὗ ταῖς πρεσβείαις καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων, Χριστὲ ὁ θεός, τὴν ζωὴν ἡμῶν εἰρήνευσον καὶ τῆς βασιλείας σου ἀξίους πάντας ἡμᾶς ποίησον, ὅτι εὐλογητὸς ὑπάρχεις νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

---

7 *οὗτος . . . ὅσιος* 8 *προσήχθη* 8/9 *παραστᾶς* 9 *ὡμολόγησεν* 10 *ἔλεγξε* 11/12 *ερωτιθεῖς* 13 *ερμινεύει* 14 *παιδίου* 17 *ὅθεν* *ανύγαγε* 19 *κλίρω* 22 *μηνη ἀπρι* 23 *πρεσβεῦαις*

Typis expressit Robertus Noske, Bornensis.

Corrigenda.

pg. V Notae pro Sigla.
„ Verfolgungszeit pro Verfolgszeit.
„ 23,4; 24,24; 31,34; 34,5.10; 45,12 necne pro an non.
„ 24,11 κῆρυξ pro κήρυξ.
„ 24,27 κατεπᾴδειν pro καταπᾴδειν.
„ 26 n. 3) Zucker, Spuren von Apollodoros ... (1904) passim.
„ 28 n. 1) Lucian. Peregrin. § 13.
„ 29,21 debuit, unde pro debuisset et.
„ 32 n. 5) ἐπὶ pro ἐπί.
„ 33,8 λατρείᾳ. pro λατρείᾳ·
„ 33 n. 7) possent pro posseat.
„ 34 n. 1) v. Nachrichten ... 1904, 326 ss.
„ 36,31 ἕδρασμα pro ἑδράσμα.
„ 37,24.25 adultera- rentur. ... rem repetere opus est.
„ 37.38 n. 1) A. Ehrhard, Nachrichten ... IV (1909) 1 ss.; A. Harnack, Sitzungsberichte ... 1910, I, 106—125; Joh. Geffcken, Hermes 1910, 481—505.
„ 40,12 credet pro credit.
„ 41, 9.10 consentaneum est, quod id exemplum ... pro c. e. q. eo e ...
„ 41,18 manu pro manibus.
„ 46,10 *a nobis*.
„ 52,3 ʿΡωμαίων pro Ρωμαίων.
„ 53,25 οὗτος pro ουτος
„ 53,32.34 ʿγεννώμενον ... ἀπολάβωμενʾ pro „γ. ... ἀ."
„ 53,52 θεοὺς pro θεούς.
„ 54,82 ἀμήν. pro ἀμήν·

Vita.

Natus sum Iosephus Ernestus Weber Idibus Decembribus anni 1882 Ohnenheimii, in vico Alsatiae inferioris, patre Virgilio, matre Maria Helena e gente Schwein. Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis ab ipso patre carissimo imbutus, puer undecim annorum receptus sum in numerum discipulorum progymnasii Zillisheimensis; quattuor annis post Argentoratum me contuli ubi a. 1901 maturus renuntiatus sum. Deinde per lustrum in huius urbis seminario quod dicitur presbyterorum et (ab anno 1903) in universitate Argentoratensi studiis philosophicis et theologicis me dedi. Sacris initiatus aestate anni 1906 Monachium migravi apud philosophorum ordinem nomen professurus, post duo autem semestria Almam Matrem Friburgensem adii; unde post sex menses vere anni 1908 ad Argentoratensem Musarum sedem reverti, ubi postea seminario philologico interfui per annum Keilio et Reitzensteinio temperantibus.

Docuerunt me viri clarissimi Monachii: Crusius, Drerup, Traube, Vollmer, Weyman, Grauert, Heigel, Poehlmann; Friburgi: Hense, Schmidt, Thurneysen, Schmalz, Finke, Fabricius; Argentorati: Keil, Laqueur, Reitzenstein, Ehrhard, Bresslau, Neumann, Spahn, Wiegand, Gröber, Bäumker, Ziegler.

Quibus viris pro multis in me meritis maximam gratiam semper habebo, praecipue autem Reitzensteinio et Ehrhardo qui cum hunc suscepissem laborem, ut bene perficerem, suis me non raro adiuverint consiliis.